



EXERCITATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE

18

JURE
PATRONATUS
IN TERRITORIO
ALIENO;

34

Quam

PRÆSIDE
SUPREMO RERUMQUE HOMINUMQUE
PATRONO,

JUSSU ET AUCTORITATE

*Amplissimi Jurisconsultorum Ordinis
in Alma Universitate Basileensi;*

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus
legitimè consequendis,

Ad D. 21. Aprilis, Anni MDCCXIII.

Eruditis examinandam

PRÆSENTAT

JOH. CONRADUS PEJERUS
SCAPHUSIO - HELVETIUS,
AUCTOR.



BASILEÆ, Typis Friderici Lœdij, Academ. Typogr.

VIRIS
MAGNIFICIS
PLURIMUM. VENERANDIS
NOBILISSIMIS. DOCTISSIMIS
PRUDENTISSIMIS
INCLYTÆ. REIPUBLICÆ
SCAPHUSIANÆ
SCHOLARCHIS

DN. MICHAELI. SENNIO } CONSULI-
DN. JOH. HENRICO. OTTIO } BUS.
DN. MELCHIORI. A. PFISTERN. PRO-
CONSULI. Summoque militum Tribuno.
DN. JOHANNI. OTTIO. ANTISTITI }
DN. EBERHARDO. KOECHLINO }
DN. JOH. MARTINO. MEJERO }
S. Ministerij Triumviris primariis.
DN. JOH. JACOBO. ZIEGLERO }
DN. JOH. RINCKIO. A. WILDENBERG }
Senatoribus, Nobiliumque Tribunis.
DN. JOH. CONRADO. PEJERO. IM. HOF
Archigrammateo.

REIPUBLICÆ
TUM. POLITICÆ. TUM. ECCLESIASTICÆ
PROCERIBUS. DIGNISSIMIS
PATRIÆ. PATRIBUS
DOMINIS. MEIS. ET. PATRONIS
CLEMENTISSIMIS.

Præterea

VIRIS. NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS
MULTUM. REVERENDIS
DOCTISSIMIS. CONSULTISSIMIS
SPECTATISSIMIS

DN. JOH. CONRADO. PEJERO } REIPUBLI-
J.U.L. Præfidi Dn. Visitatorum. } CÆ QUÆ-

DN. JOH. FELICI. WEPFERO } STORI-
Senatûs majoris Assessori. } BUS.

DN. JOH. CONRADO. PEJERO. IM. HOF }
DN. JOH. LUDOVICO. PEJERO }
Senatoribus, Nobiliumque Tribunis.

DN. JOHANNI. KIRCHOFERO. V.D.M.
Colleg. Hum. Professori, Gymnasiq; Con-Rectori.

DN. JOELI. HENRICO. PEJERO. V.D.M.
quondam Ecclesiæ Germ. Genevæ, nunc Beg-
gingæ in agro Scaphus. Pastori.

DN. FRANCISCO. ZIEGLERO } Fra-
DN. JOH. WILHELMO. ZIEGLERO } tri-
Avunculis meis magnis. } bus,

DN. JOHANNI. PEJERO. Scaphusio oriundo;
nunc Mercatori Noribergensi, Ecclesiæque Re-
formatae ibidem Seniori.

DN. JOHANNI. PEJERO. Senatûs majoris Asses-
sori, & Colleg. Hum. Professori; Patri optimo.

PATRONIS
AGNATIS. COGNATIS
FAUTORIBUS

OMNI. HONORE
OBSERVANTIA. ET. OBSEQUIO
JUGITER. A. ME. COLENDIS.

S.

VOS
EGO. COMPELLO
MAGNI. ILLUSTRESQUE. PATRONI
VOS. ALMÆ. PATRIÆ. LUMINA. CLARA
PRECOR
SUSCIPITE. HUNC. FOETUM
QUEM
JURE. AC. MORE. CLIENTIS
PRÆSENTO
AC. VESTRIS. DEDICO. NOMINIBUS
EST. EQUIDEM. INFORMIS
NULLOQUE. LEPORE. VENUSTUS
NEC. MULTA. VOBIS. ARTE
PLACERE. POTEST
SI. TAMEN. IS. TANTOS. POTERIT. REPERIRE
PATRONOS
MAGNUS. EI. SPLENDOR. NASCITUR
ATQUE. DECUS
SUSCIPITE. ERGO. ILLUM
VESTROQUE. ANIMATE. FAVORE
SUSCIPITE. ILLIUS. QUÆSO
PATROCINIUM
SIC. SEMPER
TUTUS. SUB. VESTRO. UMBONE. MANEBIT
SIC. MEA. VOS. OMNI. TEMPORE
MUSA. COLET.

P.

VESTER
CIVIS. FIDELISSIMUS
CLIENS. DEVOTISSIMUS
JOH. CONRADUS. PEJERUS
AUCTOR.

PRÆ-



PRÆFATIO.



Uod Hippocrates ille Cous in limine Apborismorum de Arte Medendi ait, Ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρὰ hoc est; Vitam brevem, Artem verò longam esse: id imprimis in Artem Æqui & Boni, quo titulo Jurisprudencia à Celso in l. 1. pr. ff. de Just. & Jur. insignitur, quadrare videtur.

Ad prius enim effati hujus membrum quod attinet, id adeò non malè Jurisprudencia convenit, ut illis, qui potissimum ejus usum in litibus intentandis, causis agendis, orandisve ponunt, inter strepitum forensem & μάχας νομικὰς seu contentiones judiciales (quas vitare jubet Paulus, non Jurisconsultus, sed Apostolus ad Tit. 3:9.) raro consensescere contingat, ac breve ævi spatium per istud vite genus sæpè decurtetur. Inter multiplicia enim tædia forensia, quæ elegans illa Prætorii Mediolanensis inscriptio apud Chytr. in Delic. Itia. p. 244. referente Carpzov. p. 1. const. 1. def. 9. (quæ tamen à Bertio in Com. Rer. Germ. l. 3. p. m. 491. Curia Brunsvicensi adscribitur) recenset, hæc postrema sunt, quod LABOR. ANIMI. EXERCETUR. CORPUS. QUOTIDIE. DEFATIGATUR. Id quod etiam confirmat illud Italorum proverbium: Chi a lite s'auvicina, a miseria s'incamina. Hanc præcipuè ob causam à Martial. l. 10. Epigr. 47. inter ea, vitam quæ faciunt beatiorem, etiam, lis nunquam, numeratur. Et huc procul dubio inter alia respexit quoque Ulpianus, quando in l. 4. §. 1. ff. de Alien. jud. mut. caus. landat cogitationem ejus, qui lites execratur. Porro, quòd hanc Juris artem longam esse di-

A

xi,

xi, id optimo jure me dixisse existimo. Infinita enim sunt mortalium negotia, infinita negotiorum circumstantia, infinita hominum fraudes atque improbitates; unde infinita quoque contentiones atque controversiae pullulant. Hinc infinita etiam sanciantur Leges, secundum quas lites illae dijudicandae, ac delicta hominum coercenda sunt. Cujus rei veritatem imprimis Reipublicae Romanae historia nos docet. Invalescente enim corruptione, ea etiam remedia invalescebant, quibus tanquam aggeribus objectis corruptioni obviam iri, ac ne latius serperet, impediri debebat; hinc crescente litium ac fraudum numero, legum quoque crescebat multitudo: adeo ut Livii jam temporibus immensus aliarum super alias acervatarum legum cumulus extiterit: Liv. l. 3. c. 34. verissimeque judicaverit Tacitus Annal. l. 3. c. 27. cum ait: Corruptissima republica plurimae leges; quae verba Freinshemius hunc ipsum in sensum ~~percepit~~ ^{percepit}: Accidit, ut quanto corruptior esset respublica, tanto plures leges exorirentur. Quamvis autem Sacratissimus Imperator Justinianus Jus Civile, quod ipsius temporibus in stupendam molem excreverat, ad certum modum (ut Suetonii de simili re in Cæs. c. 44. verbis utar) redegerit, & ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos contulerit libros; qui nunc titulo Corporis Juris Civilis superbiunt, ac Juris Studiosorum pensum vulgò absolunt: sat tamen magnus Legum superest numerus, quibus intelligendis, interpretandis, & ad usum applicandis non tironum modo, sed maximorum quoque virorum ingenia atque calami & olim desudarunt & desudant adhuc dum. Quot enim obscura, quot difficulta, quot subtilia ibi occurrunt? Quid si pugnantis quaedam dicam? sed vix ausim; veritus, ne censuram incurram eorum, qui infallibilitati Tribonianum velificari videntur. Quot etiam (notante Rev. atque Acutiss. D. Werenfels de Logomach. Erudit. c. 2. §. 4.) ibi reperuntur Logomachiae, verborumque præter vulgarem usum significationes; adeo ut qui linguam Jurisconsultorum probe calleat, is haud exiguam Jurisprudentiae partem teneat. Quot porro Jurisconsultorum in Leges Justinianeas extant Scripta, Glossæ, Paratitla, Syntagmata, Commentarii, Exercitationes, Prælectiones, Notæ, Observationes, Collegia, & quid non? adeo ut Lipsius

pius in Epist. 72. Cent. Misc. p. m. 482. hac de re ita dixerit: Amelii vetus querela est, Jurisprudentiam multorum camelorum onus esse. Quid nunc dicam? elephantos ab India adde, vix ferent. *Quæ verba si Lipsii ævo ἰνερβολιμῶς dicta fuerunt, nostro certè ad veritatem propius accedunt, quo maximè in hujus generis volumina quadrat, quod Regum sapientissimus generaliter pronenciavit: Nullum libros conficiendi finem esse. Quàm multa devique sunt, quæ Justiniani jam temporibus in desuetudinem abière; quàm multa, quæ tanquam Romanæ Reipublicæ propria nostrorum temporum & rerumpublicarum ratio abhorret? Quàm multæ sunt Leges, quæ moribus hodiernis per contrariam consuetudinem abrogatæ sunt; id quod integri Legum Abrogatarum codices testantur: imò quàm multæ, de quarum usu atq; observantia in foro Doctores certant & adhuc sub iudice lis est? Hæc autem non ideo à me præfationis loco differuntur, ac si Legitimam hæc Scientiam contentui haberem, aut Justiniani aliorumque virorum juris peritiù & usu præstantissimorum, qui Jus Justinianæ scriptis suis illustrarunt, laudibus quicquam detractum cuperem, aut alios à studio juris, tanquam longo, difficili, & laborioso absterere vellem. Talia qui mihi affingit, ne is à mente mea quàm longissimè aberrat. Quin potius ego Jurisprudentiæ studium nobilissimum ac homine ingenuo dignissimum semper judicavi, tum quòd juris omnis fons atque autor Deus ipse est, qui semina illius & quasi facem mentibus nostris iniecit, neque atrà illà primì hominum paris defectione omnino suffocari aut extingui passus est; tum quòd illa actiones nostras omnes ad rectam rationem reiç publicæ decus atq; salutem componere docet. Sed hæc tantum mea mens est, malè eos studiis suis consulere mihi videri, quibus Corpus Juris Justinianei ita in deliciis est, ut id pro unico sapientiæ ac juris fonte habeant, nihil æquum & salutare existimantes, nisi quòd cum ejus scitis conveniat; quique omnibus ejus legibus enodandis singulisq; apicibus rimandis atq; excutiendis operam omnem infundunt, atq; adeò Jurisprudentiam (ut Senec. Epist. 106. ait) Scholæ, non Vitæ discunt. Illos contra rectam in studio juris viam inire existimo, qui postquam animum sanctioris illius Jurisprudentiæ, cujus præstantia nomen Naturalis & Universalis ei concilia-*

vit, notitiâ haud leviter tinxerunt, in Corpore Juris Romani ita versantur, ut quæ usu obsoleta (sive, ut Imperator in §. 5. Proem. Inst. loquitur, defuetudine inumbrata, quæ ibid. §. 3. antiquas fabulas appellat) aut moribus nostris minus accommodata sunt, primis tantum labris degustent, (scilicet, ut nihil antiquitatis penitus ignoretur. §. 1. J. de testam. ord.) juris autem nodis ac legum enigmatibus se non implicent; vanasque subtilitates, exemplo Imperatoris in l. ult. §. 1. C. de Legib. potius rideant quam nimis crebrò videant: contra ad ea maxime animum intendant, quæ hodiernum in foro observantur, & aliquem etiam in vita civili usum habent; sibi que præ cæteris dictum arbitrentur illud Aristippi, qui (referente Diog. Laert, in ejus vit. p. m. 141. edit. Paul. Steph.) interrogatus, quamnam juvenes oporteat discere? respondit: Οἷς ἀνδρες γινώσκουσι χριστονται h. e. Ea quæ viris usui sunt futura. Hoc deinde legitimo opere perfectò, patrias imprimis Leges atque Consuetudines evolvant, & examinent, in quibus hæc cum Jure Romano & Hodierno conveniant, in quibus differant; ne ipsis occinendum sit illud Q. Mutii in l. 2. §. 43. ff. de Orig. Jur. Turpe est patricio & nobili & causas oranti jus, in quo versatur, ignorare. Eum enim in finem Jurisprudentia discenda est, tum ut quis ipse bonus atque justus civis evadat, tum ut studiis & consiliis suis jura patriæ atq; civium suorum tueri possit.

Quæ cum hoc potissimum tempore, quo tertium specimen juridicum inaugurale edendi necessitatem mihi video impositam, ut otii mei in Illustri hac Academia transacti ratio consuet, ad animum identidem revocassem: varia sese mihi obtulerunt argumenta, quibus ingenii mei vires (quas sentio quam sint exiguæ) periclitaver. Modò enim, inductus exemplo Exc. D. D. Joh. Wetstenii, Jur. Nat. & Gent. nec non Phil. Mor. in hac Academia Prof. meritissimi, Hospitiis mei plurimum honorandi, qui in Dissert. Inaug. Anno 1685. habitâ, Jus Romanum ac Basileense conferre cepit, statui Collationem Juris Romani & Scaphusiani instituire: modò in mentem venit, de Jure Præcipui vulgo das Vortheils Recht, quod apud nos & alibi filiis præ filiabus in hereditate paterna competit, differere: modò denique mihi proposui, de Jure Præsidis, vel de Ambitu, pernicioso illo Statu Democratici vitio, quæ-

dant

dam commentari. Sed missis omnibus hisce argumentis, non tam imbecillitate ingenii absterritus (hæc enim à quibuslibet aliis me dehortata fuisset), quam temporis occasionisque opportunitati obsecundans, hanc de JURE PATRONATUS IN TERRITORIO ALIENO materiam qualicumque hac Exercitatione Academica tractandam suscepi: eoque lubentius, quod illam Patriæ meæ forsitan alicui usui esse posse putabam; hoc præsertim tempore, quo ea non levi controversiæ, quæ hoc ipsum Jus Patronatus spectat, cum vicinis quibusdam implicitam esse sciebam; unde illud Euripidis in mentem mihi venit: Μη μοι τὰ κοινὰ, ἀλλ' ἅν περὶ θεῶν, id est, Non tam ea esse tractanda, quæ pulchra videntur, quam quæ Reipublicæ usui esse possint. Videbam præterea istam materiam, utriusque Juris, tam Civilis quam Canonici, pomeria ingredi: tum etiam in se utilissimam, & in Germania aliisque Europæ regnis in praxi frequentissimam, atque adeo cognita valde necessariam esse; id quod præter experientiam etiam Sigism. Finkelthaus. de Jur. Patron. in Prolegom. testatur. Imò hæc ipsa tractatio si ullibi, certè in Helvetia nostra, usum longè maximum habet: hic enim tot exempla Patronatuum Ecclesiasticorum in Territorio Alieno sive ejusdem sive diversæ religionis occurrunt, quot vix alibi reperire liceat. Cujus rei causa hæc esse videtur, quòd cum olim omnis Helvetia, unà tum vicinis quibusdam regionibus, quoad jurisdictionem Ecclesiasticam paucissimorum duntaxat Episcopatum diocesis subiecta, adeoque ejusdem quasi territorij fuisset (quæ de re legi mereatur Franc. Guillimann. de Reb. Helvet. l. I. c. 2. sub f. p. m. 15.): postea, in plures civitates divorsius, ἢ ἀνεξαρτήτως, i. e. liberæ & independentes, discessit; quarum præcipuæ postmodum Reformatam Religionem amplexæ, ditiones suas ab illa Episcoporum diocesi liberarunt, sed nihilo secius Jura Patronatus sibi antea ibi quæsita retinuerunt, & vicissim Episcopis illis cæterisque Communitatibus & personis ecclesiasticis Jura Patronatus in suis ditionibus (ubi sanè plurima istis competebant) illibata reliquerunt; quæ exinde Jura Patronatus in Territorio Alieno esse cæperunt. Id quod cum singulis serè civitatibus, tum etiam de ipsa meâ Patria nominatim & per Inductio-nem ostendere mihi in proclivi foret. In hac autem Juris Patronatus tractatione ita versatus sum, ut inutiles Canonistarum quæstiones



prætermiserim; contra verò omnia inprimis etiam ad principia & statum Ecclesiarum Evangelicarum accommodaverim, ac non pauca quæ ex ipsa prælegens & exemplorum observatione attulerim, quæ nec evangelici nec pontificii (quos quidem evolvere mihi datum fuit) Doctores; qui ex instituto eâ de re scripserunt, attingunt. Ceterum plerasque assertiones meas non tantùm rationibus, ubi opus erat, sed etiam textibus Juris & testimoniis Doctorum confirmare studui: tum ne sine Lege aut Canone, vel saltem sine Doctore loquens erudescerem; tum quia ingenui hominis esse videbatur, fateri per quos profeceris, neque metuendum mihi esset, ne Legis Atiniæ (de qua Gell. l. 17. c. 7. & l. 4. § 6. l. 33. pr. ff. de Ulucap. & l. 21 §. ff. de Reg. Jur.) postularer; tum denique, ut Lectoribus ad ea loca velut digitum intenderem, ubi citra longiorem inquirendi laborem singula copiosius tractata atque explicata reperire possint. Tu igitur, Lector benevole! conatibus hisce juvenilibus fave, & si quæ rectè à me dicta tibi videbuntur, iis benevolentia atque applausu tuo decus adde: quæ autem perperam posita animadvertes, in iis candorem tuum, meliora me docendo, non denega. Ad Te autem, magne DEUS! rerum omnium Pater atque Patrone Optime Maxime, supplex flagito, mentem manum ac linguam meam ita dirigas, ut vera atque salutaria videam, disseram, defendam!



EXER-

EXERCITATIO JURIDICA
DE JURE PATRONATUS
IN TERRITORIO ALIENO.

CAP. I.

Explicatio singulorum Tituli
vocabulorum.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Explicatio verborum necessaria est.</p> <p>2. Vocabuli JURIS etymologia & variae significationes.</p> <p>3. Id hoc loco pro Qualitate morali seu Facultate accipitur. Jurium omnium divisio generalis</p> <p>4. Vox PATRONATUS unde dicitur. Jus Patronatus pro varia vocis Patroni acceptione variat.</p> <p>5. Prima origo Patronatus ab instituto Romuli deducitur.</p> <p>6. Patronus dicitur 1^o. Protector quilibet.</p> <p>7. 2^o. In jure civili, tum Ad vocatus; tum Dominus qui servum manumisit.</p> <p>8. 3^o. In jure feudali, Dominus feudi.</p> | <p>9. 4^o. In jure canonico, variis modis accipitur: unde Jus Patronatus Ecclesiasticum multiplex est.</p> <p>10. Communiter autem significat eum, qui ministrum ecclesiae praesentat. Rationes hujus appellationis duae. Juris Patronatus hoc sensu sumti definitio, & synonyma.</p> <p>11. TERRITORIUM quid sit, & unde dicatur.</p> <p>12. Quotupliciter accipiat. In materiis ecclesiasticis Dioecesis vocatur.</p> <p>13. ALIENUM Territorium quodnam dicatur. Conclusio hujus capituli.</p> |
|--|---|

I.



I maxime receptus plerisque, qui academicas hujusmodi exercitationes conscribere solent, mos circa verborum explicationem aliquid praefandi, legis propemodum vim non induisset: mihi tamen in propositi argumenti tractatione nonnulla,

1a, quæ ad tituli dilucidationem faciunt, præmittenda forent. Hanc enim vocabulorum curam mihi non tantum generalis illa ratio injungit; quod ut Arrian. in *Epictet. l. 1. c. 17.* ait, ἀρχὴ πρὸς τοὺς ἄλλους ἐπιμαρτυροῦσιν id est, *Principium doctrinæ nominum disquisitio* sit; quæ etiam commendatur à Jcto in tritissima *l. 1. pr. ff. de Just. & Jur. l. 1. pr. ff. de Reb. cred. & quamplurimis exemplis tam in Institut. ex. gr. §. 12. de Nupt. §. 5. Quib. mod. J. P. P. solv. §. 2. de Tutel. pr. de Test. ord. pr. de Injur. §. 5. de Publ. Jud. quàm in omnibus ferè Digestor. materiis, ac imprimis in generali illo tit. de Verb. Signif. probatur; quod verborum studium præsci Jcti, notante Feltmann. de *Jur. in Re. c. 1.* ex sapientia Stoicorum hauserunt: sed ipse dissertationis hujus meæ titulus suo quasi jure eam postulat, cum singulæ ejus voces varias atque diversas passim significationes habere deprehendantur; quæ nisi accuratè evolvantur, & inter se distinguantur, nunquam claræ atque distinctæ ideæ de rebus ipsis formari possunt.*

II. Et quidem vocabulum JURIS secundum Guil. Grot. de *Princ. Jur. Nat. c. 1. §. 2.* à voce *Jussum*, quæ à *jubendo* venit, derivatur, postremâ syllabâ per apocopen subtractâ; nam quæ nos *jura* vocamus, ea antiquos *jusa* sive *jussa* appellasse Festus auctor est. Id autem non uno sensu accipi, jam observavit Hug. Grot. de *J. B. & P. 1. 1. 3. & seqq.* Hahn, ad *Wesembec. de Just. & Jur. n. 14.* Lauterb. in *Coll. Jur. ad ff. 1. 1. 20.* aliique Dd. ad hunc tit. Solent quidem Doctores illi quamplurimas ejus significationes numerare: sed omnes illæ ad quinque redigi posse videntur; quæ ipsa etiam voci german. *Recht* conveniunt, Denotat scilicet (1^o) *Legem*. Grot. *d. l. §. 9. n. 1. l. 1. & seqq. ff. de Just. & Jur.* eamque tum *præceptivam* tum *permissivam*. *l. 7. ff. de Legib.* Titius in *Obs. ad Puf. 50. & seqq.* Huber. in *Prælect. ad ff. 1. 3. 9.* quo sensu vel pro *Complexu* seu *Systemate legum* ejusdem generis, vel pro *Singulis legibus specialibus* accipitur. (2^o) *Id quod justum est*, Grot. *d. l. §. 3. l. 11. ff. de Just. & Jur.* Huc etiam pertinet specialior illa significatio, cum *justa causa* sive *Titulus* in *l. 10. ff. Si serv. vind. & Sententia* judicis in *l. penult. ff. de J. & J. l. 2. §. 13. ff. de O. J.* Jus vocatur. (3^o) *Jurisprudentiam* ipsam, *l. 1. pr. ff. de J. & J.* (4^o) *Locum*, ubi

ubi jus dicitur. l. 11. ff. de J. & J. l. 2. ff. Si quis in jus voc. non-
 ier. l. 4. § 1. ff. de Interr. in jur. fac. unde notissima illa formu-
 la: in Jus vocare, rapere, ambulare, &c.

III. Est praterea (5^a) alia longè usitatissima hujus
 vocis significatio, quæ denotatur *Qualitas moralis* sive *Facultas*
 personæ competens ad aliquid justè habendum vel agendum.
 Grot. d. l. § 4. l. 10. ff. de Just. & Jur. & pr. J. eod. Hæc facultas
 sive potestas aut ex *Jure permittente* aut ex *Pactò* resultat; ac
 respicit vel *Actiones* vel *Res*, & utrasque *Proprias* aut *Alienas*.
 Jus in *Actiones* proprias vocatur *Libertas*; in *alienas*, *Impe-
 rium*. Jus in *Res* proprias dicitur *Dominium*; in *alienas*, est vel
Servitus, vel *Pignus*, vel *Creditum*. Ab hac Jurium divisione
 paulò abit vulgata illa Jurisconsultorum divisio in *Personalia*
 & *Realia*; horumque subdivisio in jura *In re* & *Ad rem*: quæ
 licet in *Jurisprudencia Civili* egregium usum habeat, prior
 tamen illa ad pleniores & planiores conceptus formandos ap-
 tior videtur. Et hunc sensum Jus in disertationis meæ ru-
 brica habet: nihil enim aliud est Jus Patronatûs, quàm fa-
 cultas quæ Patrono competit; qualis autem ea sit, ex tractio-
 nis hujus decursu patebit.

IV. Vox PATRONATUS à *Patrono* nomen habet. *Pa-
 tronus* autem à *Patre* dicitur; quia quasi *Pater*, seu patris loco
 est: sicut contra *Cliens*, qui patrono opponitur, secundum
 Serv. ad *Virg. Æn. l. 6. v. 604.* quasi *Colens* dicitur; vel, ut ma-
 vult *Voss. in Etymolog.* à græco verbo κλέω, quod est *celebro* si-
 ve *honoro*, derivatur: quæ utraque etymologia filii erga patrem
 officium exprimit. Hoc verò Patroni vocabulum valdè am-
 biguum est, ut breviter *Reink. de Reg. Sec. & Eccl. l. 3. cl. 1.
 c. 9. n. 1.* & latius *Finkelthaus. de Jur. Patron. c. 1. n. 16. & seqq.*
 notat: unde pro varia ejus acceptione etiam Jus Patronatûs
 variat. Quod priusquam sigillatim exponam, operæ pretium
 erit, *primam Patronatûs originem* investigare: nam ejus signifi-
 cationes omnes inde profluxisse videntur.

V. Ea autem cum ipsis principis populi natalibus cœpit.
Romulus enim postquam rempublicam ordinasset, ut mutuam
 inter *Patricios* & *Plebejos* concordiam constabiliret, ad imita-
 tionem græci moris *Patribus* quos in *Senatum* allegerat, Ple-
 bem

hem commendavit, optione cuique è vulgo datâ, ut quem vellet, Patronum sibi legeret; istamque pauperum & humilium tutelam *Patronatum* nominavit, quam *Dionys. Halicarnasensis* græcè *πρωτεύων* vocat. Hoc autem Jus Patronatûs à Romulo institutum, varia jura specialia, mutuaque patriciorum & plebejorum officia continebat: inter quæ id præcipuum fuit, quòd patroni clientibus suis tam in judicio quàm extra illud assistere, eosque ab injuriis aliorum defendere atque tueri debebant. Quæ omnia accuratè commemorat *Dion. Halicarnass. l. 2. n. 63. pag. 84. edit. Lips. Sylburg.* *Plutarch. in Romul. & ex iis Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. l. 1. c. 7. Rolin. de Antiq. Rom. l. 1. c. 16. Pollet. in Hist. For. Rom. l. 2. c. 10.*

VI. Ex hoc Romuli instituto, procedente tempore multiplicia Patronorum jura, indeque variæ Juris Patronatûs significationes ortæ sunt. Et primò quidem *Patroni* generaliter appellati fuerunt, in quorum fidem atque tutelam sive patrocinium tum singuli homines, tum integræ etiam familiæ, civitates, ac nationes se dederunt. Qui mos imprimis apud Romanos frequentissimè in usu fuit, v. *Dion. Halicarn. l. 2. n. 64. pag. 85. Cicer. de Offic. 1, 11, 8. Gell. 5, 13. Sueton. in Cas. c. 71. in Aug. c. 17. & in Tib. c. 6. Flor. 3, 1, 3.* Pertinet huc memorabile exemplum *Prusæ regis Bithyniæ*, qui pileatus capite raso (qui servorum manumissorum habitus erat) Populum Romanum Patronum suum professus est, v. *Liv. l. 45. c. 44. sub f.* Sic pagani *Deos* suos *Tutelares* etiam *Patronos* vocarunt; quos papicolæ, ut in aliis, ita hac quoque in re imitantur, quando *Sanctum* illum, cujus tutelæ Regnum aliquod, *Episcopatus*, *Ordo*, *Collegium*, aut privatus aliquis homo se commisit, vel in cujus venerationem Templum aliquod consecratum est, *Patronum* salutant. *Speidel. in Spec. Jurid. voc. Patron. n. 4. & Finkelth. de Jur. Patr. c. 1. n. 25.* qui ibidem *n. 26.* integrum hujus farinae Patronorum catalogum recenset. Imò eò impietatis processerunt pontificii, ut *Meretricum* quoque *Patroni* publicâ autoritate constituti apud eos reperiantur; de quibus plura dicere pudet: videat, cui volupe est, *Ziegler. de Jur. Maj. 1, 41, 79.* In antiquis etiam *Inscriptionibus & Numis*, Patronorum primi hujus significatûs mentio fit. tus

us inscriptio, in confinibus Lusitaniæ reperta, est: *Herculi deo invicto reipublicæ Arruccitanæ PATRONO stat. aream secund. Thebani templi troph. Arruccitani D. D. Gruter, in Oper. Inscript. tom. I. p. 46. n. II.* Aliæ inscriptiones haud inelegantes, quæ ipsas exhibent formulas, quibus hujusmodi dedicationes in alterius patrocinium celebrari solebant, quæque adeo ad hanc rem illustrandam apprimè faciunt, legi possunt apud eund. Gruter, tom. I. p. 443. n. 6. p. 470. n. I. & 2. & tom. 2. in Append. p. 1101. n. I. Golzius (referente P. Jobert. *Science de Medaill. Insl. 6. p. m. 144.*) duos adducit numos græcos, in quibus Nero appellatur Patronus: ΝΕΡΩΝ ΠΑΤΡΩΝ, & ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡΩΝΙ. Hoc sensu *Jus Patronatus* nihil aliud est, quàm *Jus Protectionis* sive *Clientele*, germ. *Schutz*, oder *Schirms-Be- rechtigkeit*. De quo plura ideò non addam, quod argumentum istud haud ita pridem in Celeber. hac Academia à juvene doctissimo Jerem. Raillardo in peculiar. *Dissertat. de Publicor. Patrocin. & Protect. Jur.* eleganter pertractatum est.

VII. Porro speciatim Patronus alius dicitur Jure Civili, alius Jure Feudali, alius denique Jure Canonico. *In Jure Civili* duplici sensu sumitur. Primo enim Patroni appellantur illi, qui reorum causas in judicio orant; unde etiam *Oratores* vocantur, ac olim diversi erant ab *Advocatis*, qui *Oratoribus* jura fuggerebant. v. *Ascon. Not. ad Cicer. Divinat. in Q. Cæcil. sect. II. lit. Z. Pollet. Hist. For. Rom. l. 2. c. 9.* postea verò Patronorum atque *Advocatorum* munus unum idemque fuit. v. *Autor. dialog. de Caus. Corrupt. Eloq. post. pr. iique passim Patroni Causarum* audiunt. l. 4. C. de *Postuland. l. 1. & l. 14. C. de Advoc. div. jud. l. 13. § 9. & l. 14. § 1. C. de Judic. l. 37. pr. C. de Inoff. test. l. ult. ff. de Testib. Aufon. in Eidyll. 15.*

— — — — — *Esto Patronus,*

Et defende reos: sed gratia rara Clientis.

Ex quibus facile apparet, *Jus Patronatus* in hac significatione esse, jus aliorum causas ex arte, non rabulisticà sive cavillatorià sed æqui & boni, in judicio defendendi, l. 6. C. de *Postul. & l. 14. § 1. C. de Judic.* nec non honorarium aliquod sive *palmarium* (ut vocatur) à clientibus pro præstita operâ exigendi, l. 10. & l. 12. ff. de *Extraord. cognit.* cui alia quædam

jura sive privilegia conjuncta sunt; quæ recenset Lauterbach. in *Coll. Jur. ad ff.* 3, 1, 2j. ibique alleg. Hodie enim *Lex Cincia* dormit, quæ cavebatur antiquitus: *Ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat.* Tacit. *Annal.* l. 11. c. 5. & seqq. quæ propterea *Lex Muneralis* à Plaut. in *Fragm.* testante & interpretante S. Pompejo Fest. in *Lex. lit. M.* appellatur. Deinde etiam *Patronus* jure civili dicitur Dominus qui servum de manu sive potestate sua dimisit; ex quo servus manumissus *Libertus* Patroni sui audit. Isteque sensu, qui in jure nostro usitatissimus est, *Jus Patronatus* est illud, quod dominus per manumissionem servi in personam & bona liberti consequitur; de quo vid. t. t. D. & C. de *Jur. Patronat. de Oper. Libert.* & de *Bon. Libert.* ibique Commentatores.

VIII. In *Jure Feudali*, non quidem in ipso textu (quantum memini), sed ab ejus Interpretibus, *Patronus* vocatur *Dominus feudi.* Calvin. in *Lex. Jur. p. m.* 681. b. Hottomann, in *Lex. Feud. p. m.* 42. Rosenthal. de *Feud.* c. 1. concl. 6. n. 8. Unde vicissim *Vasallus* etiam *Cliens* vel *Clientulus* dicitur. 1. *Feud.* 10. & 13. Rosenth. d. l. n. 10. Adeoque hoc sensu *Jus Patronatus* nihil aliud foret, quàm dominium directum, quod dominus in feudo retinet: sive, complexus omnium illorum jurium, quæ domino feudi vi domini directi competunt.

IX. Denique in *Jure Canonico* vel *Ecclesiastico* vox *Patroni* non uno modo reperitur; id quod satis intelligetur, ubi ipsas *Juris Patronatus Ecclesiastici* species breviter exposuero. *Jus Patronatus Ecclesiasticum*, quod circa personas & res ecclesiasticas versatur, duplex vulgò statuitur, *Regium* & *Vulgare*: quorum illud *Majus* sive *Superius*, hoc *Minus* sive *Inferius* vocat Matth. Stephan. de *Jur. Patron.* p. 1. c. 3. posses etiam illud, termino Grotiano, *Eminens*; hoc, *Vulgare* appellare. *Jus Patronatus Regium* nihil aliud est, quàm jus summæ potestati civili competens, ecclesiam ejusque personas & res regendi atque defendendi. v. Casp. Ziegler. de *Jur. Majest.* l. 1. c. 13. §. 26. & seqq. Finkelthaus. de *Jur. Patr.* c. 1. n. 31. Schweder. *Intr. in Jus Publ. part. spec. sect.* 2. c. 12. §. 2. idque ex ipso *Jure Majestatis* circa *Sacra* resultat. Stryk. in *Not. ad Brunnem. de Jur. Eccl.* l. 2. c. 8. §. 1. Steph. d. tr. de *J. P. c.* 4. hinc Imperator in *Recess. Imper.*

Imper. & Capitulat. passim Patronus sive Advocatus Ecclesie Catholicae, germ. *Advocat/ Oberster Vogt/ Schutz, und Schirm Herr der Christlichen Kirchen*; rex Franciæ, *Christianissimus*; rex Hispaniæ, *Catholicus*; rex Angliæ, *Defensor fidei*, audit. Triplici autem sensu hoc Jus Patronatus Regium accipi observatur: nimirum vel *in genere*, pro universo Sacrorum jure vi summæ Potestatis seu Majestatis competente; vel *in specie*: idque aut pro jure protegendi & defendendi ecclesiam; aut pro jure vocandi & constituendi ministros ecclesiarum. Jus Patronatus *Vulgare*, quod ex concessione summæ potestatis cuivis, etiam privato, competit, vel *Bona* principaliter respicit, vel *Personas* ecclesiasticas. *Illud* olim competebat iis, quibus honorum & reddituum ecclesiasticorum cura, administratio, atque defensio, unâ cum jurisdictione in territorio illius ecclesiæ vel cœnobij, ab Imperatoribus & Principibus commissa erat: qui *Advocati ecclesiarum*, germ. *Kasten-Vogte* id est, Præfecti desß *Kasiens* sive granarij vel ararij ecclesiastici; ipsaque potestas *Jus Advocatiæ*, germ. *Kasten-Vogtey* appellatur. v. Lehman. in *Chron. Spir. l. 2. c. 36.* Hospinian. *de Orig. Templor. l. 5. c. 6. p. m. 125. b.* Reink. *de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 75. & seqq.* Ziegler. *de Jur. Maj. l. 1. c. 20. § ult.* Dissert. Basil. nuperr. *de Jur. Patrocini. & Protect. c. 1. § 3, 4.* Hoc, quod potissimum circa personas ecclesiasticas versatur, rursus duplex est: vel enim *Scholas* concernit, vel *Ecclesias*. Steph. *de Jur. Patr. c. 5. n. 1.* Jus Patronatus quod *Scholas* respicit, est jus nominandi atque præsentandi Professores & Præceptores Scholarum tum regiarum sive superiorum, quæ *Academie* seu *Universitates*, tum triviale sive inferiorum, quæ *Gymnasia* vocari solent; de quo videri potest Steph. *de J. P. part. 2. per tot.* Finckelth. *de J. P. c. 3. n. 4. & seqq.* ubi n. 10. plures autores, qui de eo scripserunt, allegat. Cæterum quemadmodum *Ususfructus* in *Causalem*, qui alicui in re propria jure dominij; & *Formalem*, qui in re aliena jure servitutis alicui competit, à Dd. ex gr. Lauterb. in *Coll. Jur. ad ff. 7, 1, 7.* aliisque distinguitur: ita similiter *Jus Patronatus* Regium etiam vocari possit *Causale*; *Vulgare* verò *Formale*. Illud enim ad principem *jure territorij* vel ad Episcopum *jure dioceseos* pertinet; hoc autem subdito vel extraneo *jure servitutis* competit.

X. Jus

X. Jus verò Patronatùs quod *Ecclesiæ* respicit, Juri Canonico maximè proprium atque ulitatum est: quâ significatione *Patronus Ecclesiæ* ille vocatur, qui pastorem sive ministrum Episcopo præsentat seu offert, eum in finem, ut is *Ecclesiæ* vacanti præficiatur. Germ. *Pfarr- oder Kirch-Lehen-Herr* sive *Geysslicher Lehen-Herr*. Rationem nominis hanc afferunt, quod sicut *Pater* filium vel filiam per procreationem de non esse ad esse; per dotationem autem ad bene esse: ita *Patronus ecclesiæ*, quam ædificat aut dotat, ad esse vel bene esse deducit. Reinking. *de R. S. & E. l. 3. cl. 1. c. 9. n. 2.* Finkelth. *de J. P. c. 1. n. 14.* Ziegler. *ad Lancelot. 1, 28, 1.* & Canonistæ communiter. Ea etiam ex eo desumi potest, quod sicut Patris officium est, filium tueri & rem familiarem conservare: ita quoque Patronus personas & res ecclesiæ patrocinio suo defendere debet. *c. 31. & c. 32. caus. 16. q. 7.* Finkelth. *d. l.* vel, quia exemplo Patroni qui clientem in fidem atque tutelam recepit, ad defensionem ecclesiæ præstandam obligatus est. Mager. *de Advoc. Arm. c. 2. n. 151.* *Ecclesiæ* autem, quæ ejusmodi Patronum agnoscit, *Patronata* vocatur; cui ecclesiæ *Libera* opponitur. Schilter. *in Inst. Jur. Can. 1, 14, 6.* Finkelth. *de J. P. c. 2. n. 35.* Hoc sensu *Jus Patronatùs* à Lancelot, § 1. *Inst. Jur. Can. de Inst. & Jur. Patr.* definitur: *Poteslas præsentandi* (*parochum*) *instituendum ad beneficium vacans.* Synonyma ejus sunt, *Jus Collaturæ*; unde *Patronus* etiam frequenter *Collator* appellatur. Finkelth. *de J. P. c. 1. n. 33.* Reink. *de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 74.* Instr. Pac. Helvet. nuperrim. *art. 2.* In jure canonico vox *Collaturæ* non occurrit, sed alia ei affinis, nimirum *Collatio* ibi reperitur: hæc autem non patrono, sed Episcopo tribuitur; estque vel *Libera* vel *Non-libera*. Schilter. *J. J. Can. 1, 16, 7.* *Illa* est concessio beneficii sive præbendæ, ab Episcopo suo jure sine prævia patroni præsentatione facta. *c. 16. de Præbend. in 6^{to}.* Lancelot. *in J. J. C. 1, 26, 4. & 1, 28, 1.* ibique Ziegler. adeoque in *Ecclesiæ Non-patronata* sive *Libera* locum habet. Finkelth. *de J. P. c. 1. n. 33. in f. & c. 2. n. 36. in f.* Hæc est institutio parochi facta ab Episcopo ad præsentationem patroni. Lancelot. *d. l.* Finkelth. *d. c. 1. n. 33.* In communi autem loquendi usu (ut dixi) *Jus Collaturæ* pro *Jure Patronatùs*,

natus, & Collator pro Patrono promiscuè accipitur. Ex quo apparet, illam distinctionem, quam Vir Cl. Joh. Rod. Ottius in *Eth. Christi*. l. 2. c. 16. p. m. 276. comminiscitur, nec auctoritate nec usu niti. Deinde jus patronatus etiam *Jus Advocatiæ*, vel abscissè *Advocatiæ*, vocatur. c. 6. X. de *Jur. patron.* Mager. de *Adv. Arm.* c. 2. n. 149. & passim in toto tractatu: quamquam ex illis quæ § *præced.* dixi, liquet, *Jus Advocatiæ* ab hoc *Jure Patronatus* planè diversum esse; prout etiam aperte ab eo distinguitur in c. 12. X. de *Pen.* Porro id nonnullis quoque simpliciter dicitur *Electio*: gallicè, *Droit de Patronage*: germanicè, *Pfarr-Satz / Pfarr-Lehen / Kirchen-Satz / Kirch-Lehen / Kirchen-Bestellung*. Sekendorf. *Deutsch. Fürstens-Staat.* part. 2. c. 13. § 3. Schilter. *J. J. Can.* 1, 14, 5. Et hunc sensum rubrica dissertationis hujus præfert, in qua de hoc ipso *Jure Patronatus* in *Territorio Alieno* agere constitui.

XI. TERRITORIUM à *Pomponio* in l. 239. § 8. ff. de *Verb. Signif.* definitur: *Universitas agrorum intra fines cujusque civitatis*. Addit *JCtus*, id ab eo dictum esse, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, submovendi (turbam scilicet per lictores, ut explicat *Cujac.* in comment. ad h. l.) *jus habet*. Posses etiam hanc rationem reddere, quia dominus ibi habet *jus terrendi delinquentes*, iisque per leges earumque executionem terrorem sive metum incutiendi, & hac ratione à delictis patrandis absterrendi: vel quia domino competit potestas terrendi subditos, ut ipsius imperio pareant. *Varro de Ling. Lat.* l. 4. id à *terro* derivat; quia scilicet pedibus maxime teritur: unde etiam vocem *terra* descendere ex eo manifestum ait esse, quod in *Libris Augurum*, qui ferè antiquissimi Romanorum libri fuerunt, *terra* unico r scribatur. Secundum utramque istam etymologiam tres postremæ syllabæ tantum productio vocis essent; qualis etiam in vocibus *Adjuvatorium*, *Auditorium*, aliisque observatur. *Isidorus in Orig.* l. 15. c. 5. illud quasi *Tauriterium* vel (ut alii legunt) *Teritaurium*, à *terendo* & *tauris* dictum esse existimat, respiciens ad priscum urbes condendi ritum, quo juncto tauro & vacca muri sive limites arato designabantur. v. *Serv. ad Virg. Æn.* l. 5. v. 755. Denique *Salmasius in Not. ad Treb. Poll. trig. Tyrann.* XXIII. p. 317, 318, Ed. *Lugd. Bat.* hanc

hanc vocem compositam esse vult, ex *terra* & antiquo vocabulo *tores* sive *torres*, quod *terminum* seu *limitem* significat, ac etiamnum in voce *extorris* ulitata est; atque adeo *Territorium* dici ait, omne illud terræ vel agri spatium certis terminis definitum delimitatumque, intra quod Jurisdictionem civitas aliqua habet. Ex istis Etymologiis elige, cui dicas: tu mihi sola places; & veniam da philologicæ huic digressivulæ.

XII. Sumitur autem *Territorium*, perinde ac germ. *Gebiet* vel pro *Regione* ipsa, seu certo terræ tractu sive (ut vulgò vocant) *Districtu*; vel pro *Potestate* sive *Superioritate*, quam quis in personas & res ibi existentes habet: hoc est (si non nimis delicatæ auris es) vel *materialiter*, vel *formaliter*. Observandum tamen, hanc vocem plerumque relativè usurpari, ita ut involvat respectum ad eum penes quem jurisdictionis illius loci est. Cæterum, quod in materiis politicis *Territorium* est, id in ecclesiasticis *Diæcesis* vocatur. c. 16. *dist.* 18. c. 3. *caus.* 16. q. 7. c. 13. X. *de Probation.* c. 15. X. *de Restitut. spoliator.* ibique Casp. Ziegler, *not.* unde in Instr. Pac. Westph. art. 5. § 48. Jus Sacrorum Jus *Diæcesanum* dicitur. Quæ duæ appellationes in *terris* quidem *evangelicis* reipsa conveniunt: ibi enim, cujus est territorium, ejusdem etiam est *diæcesis* adeoque Jus Sacrorum. In *terris* autem *pontificiis* magna inter eas differentia est; nam *diæcesis* adeoque personæ & causæ ecclesiasticæ non principis aut magistratus secularis, sed Episcopi jurisdictioni subjectæ sunt: ut proinde *Diæcesis* sit quali *Territorium Episcopi*; pro ut etiam, licet minùs propriè, vocatur in c. 10. *caus.* 16. q. 7. & c. 17. *caus.* 18. q. 2.

XIII. ALIENUM autem *Territorium* quodam sit, ita clarè (verba sunt Grot. *de J. B. & P.* 2, 18, 2, n. 1.) exposuit Virgil. *Æn.* l. 7. v. 369. ut nemo Jctorum possit clarius:

Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris

Dissidet, externam reor.

Est scilicet (ut breviter dicam) id, quod alterius imperio subjacet. Secundum hæc etiam illud territorium esset alienum, cujus quis civis est, imperio ad alium (cujus scilicet ipse subditus est) spectante. Sed mihi paulò preliùs sumitur, pro eo tantum,

tantum, cuius quis nec caput est nec membrum. Sed de verborum explicatione satis: quæ quidem præter opinionem in nimiam ferè magnitudinem excrevit; quod tamen Lectori non ingratum fore existimo, cum verborum investigatio ad ipsarum rerum claram & distinctam cognitionem non parum conferat.

CAP. II.

Definitio Juris Patronatus in Territorio Alieno, brevi commentario illustrata.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ante omnia Jus Patronatus in Territorio Alieno definitum est.</p> <p>2. Definitio ejus.</p> <p>3. Explicatio hujus definitionis. Quid sit presentare.</p> <p>4. Quid sit Parochus. Variæ hujus vocis etymologiæ, allusivæ magis quàm veræ.</p> <p>5. Vera etymologia à græc. παρῳχία. Parochis similes apud Rom. erant Curiones. Vox germ. Pfarrer à lat. detorta est. Parochi olim Presbyteri vel Episcopi dicti. Malè à pontificiis Sacerdotes vocantur.</p> <p>6. Institutio Parochi ad Patronum non pertinet.</p> <p>7. Munus ecclesiasticum in jur.</p> | <p>can. Beneficium appellatur. Ratio ex Calvino. Vocatur etiam Præbenda.</p> <p>8. Beneficium quando vacare dicitur. Quod nondum vacat, conferre aut promittere non licet. Mandata de Providendo seu Gratiæ Expectativæ pontificum.</p> <p>9. Jus Patronatus est species Servitutis in territorio alieno. Jus Sacrorum cuiusnam tum apud pontificios tum apud evangelicos competat. Locus ex Thuano. Exempla specialia J. P. in T. A.</p> <p>10. Jus Patronatus hic tantum consideratur, quatenus extraneo competat.</p> |
|--|--|

I.

Quandoquidem, monente Cicerone de Offic. I, 1, 2. omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à defini-

C

definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur: ante omnia statim in limine tractationis hujus definiendum esse existimo, quid per Jus Patronatus in Territorio Alieno intelligam.

II. JUS PATRONATUS IN TERRITORIO ALIENO itaque voco, FACULTATEM PRÆSENTANDI PAROCHUM INSTITUENDUM AD MUNUS ECCLESIASTICUM VACANS IN EO TERRITORIO, UBI ALIUS, CUI PATRONUS SUBJECTUS NON EST, JUS SACRORUM HABET.

III. Sed cum omnis definitio in jure periculosa sit, ac facile subverti possit, l. 202. ff. de Reg. Jur. ideò singula definitionis verba, ut clara in luce ponatur, paulò uberius explicanda atque firmanda sunt. Dixi: FACULTATEM PRÆSENTANDI. Præsentationis vocabulum in duplici sensu usurpari reperio. Interdum eo significatur ipsa Investitura, seu ille actus, quo minister ecclesiæ electus in actualem muneris sui possessionem publicè immittitur: quo sensu hæc vox imprimis in Helvetia nostra accipitur, istamque significationem ei etiam attribuit Vir Cl. Joh. Rod. Ottius, in *Eth. Christ.* l. 2. c. 16. p. m. 278. & Heidegger, in *Corp. Theol.* loc. 27. sect. 1. §. 33. post m. Sed heic cum Jure Canonico ejusque Dd. per vocem *præsentare* nihil aliud intelligo, quàm *sistere*, *exhibere*, seu, ut est in c. *Decernimus.* 32. caus. 16. q. 7. *offerre* personam idoneam episcopo vel alii qui ejus jura habet. Finkelth. de J. P. c. 2. n. 10. sive, aliquem cum literis vocationis ad Episcopum aut (quod in terris evangelicis ejus locum tenet) Consistorium mittere, ut eum muneri ecclesiastico præficiat. Quod autem in hac descriptione solius Præsentationis feci mentionem, id non eo animo à me factum est, ac si Nominationem & Vocationem cum ea confunderem aut sub ea involverem: sed ideò, quod jus nominandi & vocandi non semper juri patronatus annexum sit, sed salvo eo sæpè alii competat; præsentatio autem proprium & essentielle patroni negotium sit, Carpov. in *Jurisp. Consistor.* l. 1. def. 43. n. 7. & Celéberr. Bohmer. de *Jur. Parochial.* sect. 3. c. 1. §. 13. Existimat quidem Titius in *Spec. Jur. Eccl.* l. 1. p. 7. §. 20. jure canonico Præsentationem

nem in latiore sensu accipi, ita ut Nominatio & Vocatio sub ea comprehendatur. Sed quia moribus hodiernis, ut infra pluribus dicitur, partes istæ sæpenumero ab invicem separatae sunt: eam in sensu strictiore accipere malui.

IV. Dixi: PAROCHUM. Per quem intelligo personam ecclesiasticam, quæ verbo Dei prædicando administrandisque Sacramentis idonea est. Vocabulum *Parochi* græcæ originis esse, sed à latinis adoptatum, omnes consentiunt: cuiusnam autem voci suos debeat natales, non una omnium sententia est. Alii secuti Acronem & Porphyriorem, ambos scholiastes ad Horat. l. 1. sat. 5. id à voce *παρέχω*, *præbeo*, derivant. *Parochi* enim olim apud Romanos erant, qui legatis reipublicæ causâ iter facientibus, aliisque etiam peregrinis ac hospitibus supellestem & quælibet necessaria suppeditabant. Ad quos alludit Horatius, l. 1. sat. 5. v. 45, 46.

Proxima Campano ponti quæ villula, rectum

Præbuit, & Parochi quæ debent ligna salemq.

Talis fuit ille *Sestius* apud Ciceron. ad *Attic.* l. 13. *Epist.* 2. Unde homines isti etiam *Xenoparochi* vocantur in l. 18. § 10. ff. de *Muner. & Honor.* ubi v. Gothofredi *not.* Latine autem, notante Porphyriore ad illum Horatii locum, *Copiarum* dicuntur: quia scilicet peregrinantibus rerum necessariorum copiam præbent. De iis legi quoque potest Hospinian. de *Orig. Templor.* l. 1. c. 7. p. m. 18. Hinc postea Episcopos sive Presbyteros etiam Parochos appellatos esse ajunt: vel, quod Paulus 1. *Tim.* 3: 2. hanc ipsam virtutem, nimirum φιλοξενίαν seu *Hospitalitatem* ab illis requirat; ac jus canonicum quoque vehementer inculcet, in *distinct.* 42. vel, quod fidelibus, qui per hujus mundi desertum in cœleste Canaan peregrinantur, πρὸ τοῦ ἑωσπύρου ἑωσπύρου, id est, ea quæ illis ad vitam spiritualem necessaria sunt, puta Verbum & Sacramenta, *præbeant.* Nonnulli tamen hoc nomen eos habere arbitrantur, non quod ipsi quid præbeant, sed quod illis beneficium vel salarium *præbeatur*: quasi Parochiæ magis in utilitatem Clericorum quam Parochianorum introductæ sint. Bohmer. de *Jur. Paroch. sect.* 2. c. 1. § 3. Alio paulò sensu sumitur hæc vox in illo Horat. l. 2. sat. 8. v. 35, 36.

Vertere pallor
 Tum parochi faciem, nil sic metuentis, ut acres
 Potores.

ubi Parochus est Convivator, seu is qui convivium apparat; quem Horat. *ibid.* v. 7. *cæna* patrem vocat. Sed hæc significatio ad parochos ecclesiasticos minus quadrat; quamvis nec hic deesset frigida aliqua similitudo. Alii vocem Parochus ab *ἵχμα*, *veho*, vel *ἄχος*, *currus* sive *vehiculum*, arcessunt. Parochos enim tradunt dictos esse eos, qui currui præerant, equorumq; fræna regebant, ac magistratibus in provincias proficiscentibus equos & vehicula subministranda ab ædilibus conducebant sive redimebant; adeoque secundum eos ijdem quodammodo fuissent, qui latine *Veredi* seu *Veredarij* nominantur. v. Non. Marcell. *de Propriet. Serm.* p. 76. Ed. *Platin.* Jacob. Cruq. in *Not. ad Horat. d. Sat.* Ziegler. *de Jur. Maj.* 2, 18, 22. qualis fuisse videtur *Ventidius* ille *Bassus*, de quo Gell. l. 15. c. 4. Sed & hæc derivatio Parochis sacris parum scite applicatur. Haud paulo dignior est altera significatio, apud Græcos olim in ritu nuptiali ulitata, secundum quam *παροχος*, *Parochus*, vocabatur ὁ *παράνυμφος*, *Paranymphus*, qui videlicet sponso sponfam domum deducenti in curru nuptiali affidebat: de quo videsis Eustath. *ad Homer. Iliad.* p. 833. Aristoph. in *Avib.* sub fin. ibique Scholiast. Suid. in *Lex. voc. ζεύγος.* & *voc. Παροχος.* Jul. Polluc. in *Onomast.* l. 3. c. 3. *segm.* 40. & l. 10. c. 7. *segm.* 33. Brisson. *de Vet. Rit. Nupt.* p. 1036. *tomi* 8. *Thes. Græv.* Anton. Hottoman. *de Vet. Rit. Nupt.* c. 16. quem tamen, suppresso quidem nomine, Gothofr. Jungerman. in *Not. ad Polluc. Onomast.* l. 3. c. 3. v. 11. in eo reprehendit, quod *παροχον* eundem putet esse cum *νυμφαγωγῶν*. hunc enim, ait, propriè vocatum esse eum, qui sponso iterum nubente, ipsius loco sponfam deducebat; quamvis hæc interdum confundi soleant, ut ab ipso Lucian. in *Herod.* circa m. Hæc significatio Pastoribus seu Parochis ecclesiasticis mirificè convenit: sunt enim reverà *Paranymphi sacri*, eorumque officium est, ecclesiam tanquam sponfam Christo sponso adducere. v. *Job.* 3: 29. & 2. *Cor.* 11: 2. Sed dubito, an adeo pia mens illis fuerit, qui istud vocabulum in ecclesiis introduxerunt.

V. Alij vocem hanc, degenerem atque detortam esse existi-

existimant, eamque à græco *πάροχος* & *παροχία* deducunt, ita ut non *Parochus*, sed *Parocus* dicendum foret. Ex eorum igitur mente *Parochus* propriè est, qui alicui *παροχία*, id est, viciniam seu cœtui vicinorum sive accolarum, in sacris præpositus est. Hæc etymologia omnium verissimam videtur, eamque pluribus confirmat Celeberr. Stryk. in *Not. ad Brannem. de Jur. Eccles. l. 2. c. 2. § 2. voc. Parochialis.* & Clar. Böhmer. *de Jur. Paroch. sect. 2. c. 1. § 5, 6.* alijque ab eo alleg. Parochijs istis apud Romanos similes erant *triginta illæ Curie*, in quas *Romulus* Populum Romanum divisit, quibus totidem præerant *Curiones*, qui pro Curialibus suis sacra faciebant; ac nostri temporis Parochorum instar gerebant. v. Rosin. *Antiq. Roman. l. 6. c. 2.* quos nunc ab illis ipsis Curionibus gallicè *Curés* appellari, haud abs re censet Paul. Merul. *de Sacerd. Roman. l. 2. c. 7.* add. Duaren. *de Sacr. Ministr. l. 2. c. 7.* Obiter hic notandum, ab hac ipsa voce *Parochus* & *Parochia*, vocabula germanica *Pfarrer* & *Pfarer*; sicut *Pfruend* à *Præbenda*, *Priester* ac gall. *Prêtre* à voce *Presbyter*; *Probst* à nomine *Præpositus*; nec non *Kirche* à græco *Κυρία* (unde etiam latinum *Curia* ortum esse censet Grav. in *Præfat. ad Antiq. Rom. tom. 1.* quamvis Fest. in *Lex. & Pompon. in l. 2. § 2. ff. de Orig. Jur. id à Cura* derivet) detorta esse. Et hæc de voce *Parochus*, quam ideò in definitione adhibere placuit, quod Jus Canonicum ejusque Interpretes eà communiter uti soleant: licet nomen *Pastoris* ab ipso Christo profectum (*Eph. 4: 11. conf. Act. 20: 28. & 1. Petr. 5: 2.*) convenientius mihi videatur. Cæterum isti Parochi, sive Pastores, hodie inter Evangelicos communiter *Ministri* (scilicet *Christi*, vel *Verbi divini*, vel etiam *Ecclesie*) audiunt; quod nomen ipsi, Apostolorum modestiam (vid. *1. Cor. 3: 5. & 4: 1.*) imitati, sibi summissè videntur. In ecclesia primitiva ijdem modò *Presbyteri*, modò *Episcopi* promiscuè appellabantur; ut vel ex *Act. 20: 17. & 28.* nec non *Tit. 1: 5. & 7.* liquet: de quorum primà origine, primavæque convenientiâ, & subsecutâ demum distinctione, post alios accuratè ut solet agit Clar. Böhmer. *de Jur. Eccles. Antiq. dissert. 6. & 7.* Pontificij verò Parochos suos *Sacerdotes* (id est, *Opferer*) appellare solent, nomine à Romanis illis ethnicis mutuato: quod nobis inconveniens esse merito

rito videtur; propriè enim solus Christus verus Sacerdos est, & manet in æternum: cui nec quid derogemus, nemini inter *Ministros Sacerdotis vocabulum communicamus*, inquit Confess. Helvet. c. 18. p. m. 99. analogicè autem & in sensu mystico omnes fideles per Christum facti sunt Sacerdotes; ut proinde titulus iste non Clericis proprius, sed Christianis omnibus communis sit, *ibid.* p. 98. add. Böhmer. *d. tr. Dissert.* 9. § 3.

VI. Dixi: INSTITUENDUM. *Instituere* nihil aliud est, quàm parochum in actualem possessionem muneris ecclesiastici mittere, ad quod à patrono præsentatus est; qui actus aliàs *Investitura* vocatur: eumque Ordinatio atque Confirmatio præcedit; ut *cap. seq.* pluribus dicitur. Hæc autem Institutio apud Pontificios fit ab Episcopo; apud Evangelicos à Superintendente, aliove Pastore primario, cui hoc jus à domino territorij commissum est. Patroni enim jus tantum in præsentando, non etiam in instituendo nec in desituendo consistit; sed hoc utrumque ad Jus Episcopale pertinet: adeoque Patronus id sibi arrogare non potest. c. 4. X. *de Jur. Patron.* Brunnemañ. *de Jur. Eccl.* 2, 8, 1. ibique Stryk. *in Not.*

VII. Dixi: AD MUNUS ECCLESIASTICUM. Quod stylo Curix Romanæ communiter *Beneficium* vocatur. c. 2. & c. 9. *post. m. caus.* 1. q. 3. & sexcentis aliis locis. Cujus appellationis rationem velut ex tripode reddit Calvin. *in Inst. Rel. Christ.* 4, 5, 6. Denique, inquit, in hunc finem conferantur sacerdotia, non ut ecclesijs sit prospectum, sed ijs qui accipiunt: itaque beneficia appellant; quo nomine satis declarant, se non alio loco ea habere, quàm principum donativa, quibus vel conciliant favorem militum, vel eorum labores remunerantur. Antiquitus quidem hæc vox tantum accipiebatur pro Prædijs vel Reditibus, qui parochi ad sui sustentationem salarij loco assignabantur. At postquam quæstus est habita ratio magis quàm muneris atque officij, unà cum moribus hominum mutata quoque est loquendi ratio, ipsaque munera ecclesiastica Beneficia appellata sunt; qua de re omninò legi meretur Duaren. *de Sacr. Eccl. Ministr. & Benefic.* l. 2. c. 3. Deinde munus ecclesiasticum vocatur etiam Præbenda. c. 2. & c. 9. *post. m. caus.* 1. q. 3. & t. t. X. *de Præbend. & de Concess. præbend.* quæ à Lancellot. *in Inst. Jur. Can.*

Can. 1, 26, 2. definitur : *jus percipiendi proventus ecclesiasticos pro ministerio sacro*. Ea sic dicitur à *præbendo*; quia videlicet certi redditus ecclesiastici clericis ad ipsorum sustentationem *præbentur*. Plura de ijs habet Duaren. *diçt. tr. l. 2. c. 8.*

VIII. Dixi : VACANS, *Vacare* tunc dicitur munus ecclesiasticum, quando parochus, qui ecclesiæ præerat, diem obiit, vel alio modo munere suo abiit, *c. 6. de Rescript. in 6^o*. Quo sensu hac voce in simili argumento utitur Plin. *l. 10. Epist. 8.* haud secus ac Marcianus *Jctus* viduam *vacantem mulierem* vocat in *l. 5. § 2. ff. ad L. Jul. de Vi publ.* uti vicissim ecclesia *vacans* à Lancelot, in *Inst. Jur. Can. 1, 6, 2. viduata* appellatur. Ministerio autem nondum vacante alius præsentari, adeoque *jus patronatus* exerceri non potest. *c. 8. X. de Jur. patr. Carpz. l. 1. def. 16. n. 7.* Vetitum enim est, ecclesiastica ministeria sive beneficia conferre vel promittere antequàm vacent. *c. 2. X. de Concess. præbend.* ideò quod votum captandæ mortis parochi inducunt; sive, ut patres concilii Lateranensis in *d. c. 2.* loquuntur, *Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum eß beneficium se crediderit successurum.* Imò gravissima pœna statuta est in eum, qui beneficium nondum vacans adeptus est. *c. 1. X. de Concess. præb. c. 7. in m. caus. 2. q. 1. & c. 4. caus. 3. q. 2.* exemplo illius *Demadis* apud Senec. *de Benefic. l. 6. c. 38.* qui Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, cum probasset, magnum lucrum optasse; quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quàm religiosè autem ipsi Pontifices decreta hæc sua observent, fidem faciunt illa *Diplomata* seu *Bullæ*, quas *Mandata de Providendo* vel *Gratias Expectativas* appellant; quarum nonnunquam duodecim nomine unius beneficii nondum vacantis concesserunt, v. Duaren, *de Sac. Ministr. l. 5. c. 8. & l. 6. c. 1.* Carpz. *l. 1. def. 16. n. 1.* Quem pontificum morem ipsismet quidem *novum pecunias aucupium*, ecclesiæ verò *lucem pestemq;* esse Duaren, *d. l.* graviter ingenueque differit, ejusque originem ab *αὐχρονεργείᾳ* seu avaritia Aulæ Romanæ arcessit. Adeò fideliter imitantur veteris Romæ mores; de quibus Juvenal. *Sat. 3. in m. Omnia Romæ Cum pretio, esse cecinit.*

IX. Di-

IX. Dixi: IN EO TERRITORIO UBI ALIUS
 JUS SACRORUM HABET. Nimirum hoc Jus Patronatus
 est species quædam *Servitutis in territorio alieno*, non minus
 quam Jus Venandi, aut aliud jus simile. Rittershus. *ad Novell.* 1,
 7, 77. *Wesembec. consil.* 48. n. 2. *Carpzov. decis.* 5. n. 6. *Ma-*
scard. de Probat. vol. 2. conclus. 586. n. 2. *Finkelth. de Jur. Patr.*
c. 8. n. 31. ibique alleg. Cujusmodi servitutes in territorio alie-
 no frequentissimas esse, observat Stryk. *in Us. Modern. Pan-*
dect. 8, 1, 1. ac multa exempla affert *in Dissert. vol. 2. de Jur.*
Princ. extra Territor. c. 1. Jus Sacrorum autem (quod ab aliis
 minus rectè *Jus circa Sacra* appellari censet Stryk. *in Not. ad*
Brunnemañ. de Jur. Eccl. l. 1. c. 6. membr. 12. n. 1.) revera cum
 Jure Majestatis sive cum Summo Imperio conjunctum est. l. 1.
 § 2. ff. *de Just. & Jur.* Ziegler. *de Jur. Majest. l. 1. c. 18. & seqq.*
Grot. de Imp. Summ. Potest. circa Sacr. c. 1. Huber. de Jur. Civit.
l. 1. c. 22. & seqq. edit. Lugd. Bat. Mev. p. 2. decis. 305. atque
 adeo ad Principem pertinere debet, præsertim si iisdem quoque
 sacris addictus sit. Sed iis in terris, ubi Religio Romana do-
 minatur, Episcopi id jam dudum ex concessione Pontificis,
 hoc illis ex alieno largientis, usurpant, & in sua quisque diocē-
 cesi exercent. Ex qua pontificiorum hypothesi & praxi sequi-
 tur, ut si apud eos ipse princeps seu dominus territorij jus per-
 sonas ecclesiasticas in propria sua ditione nominandi vel eligen-
 di habeat; id etiam ad Jus Patronatus in Territorio Alieno re-
 ferendum esse: cum isthoc, quoad jus sacrorum, revera non
 ipsius, sed alterius (nempe Pontificis vel Episcopi) territorium
 dici possit. Cujus rei illustre exemplum præbent *Reges Gallia*,
 qui vi *Concordati Leonis X. Papæ*, cum Francisco I. initi po-
 testatem habent, Episcopos & Abbates in regno suo nominandi
 sive eligendi & Pontifici confirmandos præsentandi; de quo
 Thuan. l. 1. p. m. 7. b. edit. *Robert. Steph.* 1618. ita loquitur:
Additum à Leone munus, quo tanquam pignore nova federatio ob-
signaretur, ut sublata veteris ecclesia à DEO & Apostolis instituta
consuetudine, jus esset regi, quos vellet, per Oratores suos apud Pon-
tificem proponere, & eos in Episcopos aut cenobiorum præsules di-
plomate suo creare pontifex obligaretur. Idem jus etiam *Hispânia*
Reges habent; quod illis jam ante *Carolus M.* in Concilio
 Tole-

Toletano XII. tributum esse creditur. c. *Cum longè*. 25. *dist. 63.* Carpz. *de Leg. Reg. Germ.* c. 11. *sect. 15. n. 23.* Hujus quoque juris particula & quasi lacinia Imperatori Romano-Germanico à pontifice relicta est, quæ in *Jure Primariorum Precum* sese exferit, vi cuius Imperator noviter electus facultatem habet nominandi atque promovendi unam personam idoneam ad beneficium ecclesiasticum in certis Imperii ecclesiis primum vacans. v. Coccej. *in Prud. Jur. Publ.* c. 22. n. 6. Stryk. *vol. 2. Dissert. de Jur. princ. extra territ.* c. 1. n. 73. & seq. At in terris Evangelicorum, speciatim in magna Britannia, Suecia, Dania, inde à reformatæ religionis temporibus Reges Jus Sacrorum postliminio sibi vindicarunt. Quod in Germania quoque Evangelii Principes & Status Imperii (quo nomine etiam Civitates Imperiales comprehenduntur; ut pluribus probat Knipschild. *de Jur. & Priv. Civ. Imp.* l. 2. c. 3. n. 38. & seqq.) vi Superioritatis Territorialis (quam vocant) suo jure exercent; præsertim postquam id illis in Pac. Relig. anno 1555. restitutum, & anno 1648. in Instr. Pac. Osnabr. art. 5. solenniter confirmatum fuit. Unde natum est tritum illud axioma: *Cujus est Regio, ejus etiam est Religio*; de quo videri potest Carpzov. *in Jurispr. Consist.* l. 1. def. 3. n. 4. Knipschild. *d. l. n. 52. seqq. n. 180. & seqq.* Pufend. *de Hab. Relig. Christ. ad Vit. Civ.* § 54. *sub f.* Hert. *in Dissert. de Superiorit. Territor.* § 13. Stryk. *in Us. Mod. Dig.* 1, 1, 5. Similiter etiam Helvetii Reformati, & Belgæ Fœderati, Jus Sacrorum Episcopis Pontificiis ademptum optimo jure sibi asseruerunt. Hinc est, quod jus istud inter ipsos Evangelicos, retento priore nomine, quamvis mutatâ personâ, *Jus Episcopale* etiamnum audiat: quam tamen appellationem improbat Jac. Brunemann. *in Exam. Jur. Publ.* 3, 3, 10. Unde vicissim sequitur, si Episcopus aliquis Pontificius Jus Patronatûs in ditione evangelica habeat, quæ ante Reformationis tempora ad ipsius diœcesin pertinuerat, id sine omni dubio pro jure patronatûs in territorio alieno habendum esse. Et sic *Episcopus Constantiensis*, nec non ejus *Capitulum Cathedralis, Dum Capitel* in Agro Tigurino & Scaphusiano, quorum uterque in ipsius olim diœcesi fuerant, aliquot Collaturas sive Jura Patronatûs etiamnum habet. Quod si is, qui territorij pro aliqua dunta-

D

xat

pat parte dominus est, Jura Patronatûs ibi habeat : hæc etiam exemplis Juris Patronatus in territorio alieno, saltem aliquatenus annumeranda erunt. Sic *Illustrissima Respublica Tigurina* in multis Ecclesiis Evangelicis *Turgoviae* (quam olim sub *Pagi Tauraci* vel *Tauriaci* nomine venisse putat *Stumpf. in Descript. Helvet. l. 5. c. 1.*) cujus territorium pro parte septimâ vel (secundum nuperimam Pacificationem) octavâ ad illam pertinet, Jus Patronatûs habet atque exercet.

X. Dixi : CUI PATRONUS SUBJECTUS NON EST. Hæc verba ideò adjeci, ut excluderem id Jus Patronatûs, quod subditus vel civis in territorio sui principis vel civitatis habet. Ego enim hic Jus Patronatûs potissimum respicio, quatenus id competit *extraneo*, hoc est, alij sive principi, sive reipublicæ, sive etiam privato extra territorium (vel diocesan) in quo ecclesia patronata sita est. Cujusmodi exempla inter Evangelicos æque ac Pontificios in Germania & Helvetia nostra, ac speciatim hic Basileæ, nec non in ipsâ etiam civitate mea patria, & aliis quoque locis, frequentissima esse experientia testatur.

CAP. III.

Partes Juris Patronatûs tres, Nominatio Vocatio, & Præsentatio : quibus ex parte Episcopi accedunt Ordinatio, Confirmatio, & Investitura.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Juris Patronatus partes tres sunt ; quæ tamen non semper omnes Patrono competunt.</p> <p>2. Prima est Nominatio. Ejus bononymia.</p> <p>3. Nominatus concionem dominus ad populum habere debet.</p> <p>4. Nominatio sæpè ab alio, quam à Patrono fit.</p> | <p>5. Altera pars est Vocatio.</p> <p>6. Tertia est Præsentatio. Ea est pars J. P. maximè essentialis.</p> <p>7. Actus ex parte Episcopi accedentes etiam tres sunt.</p> <p>8. Primus est Ordinatio. Ejus ritus præcipuus Impositio manuum est. Differentia inter præcin ecclesiarum Germaniæ & Helvetiæ.</p> <p>9. Alter</p> |
|---|---|

9. *Alter est Confirmatio. Carp- zovius notatur. Ea olim An- nulo & Baculo fiebat.*
10. *Tertius est Investitura. Origo hujus vocis. Synonyma ejus. Ritus variorum locorum. E- jus effectus.*
11. *Irregularitas circa Juris Pa- tronatus partes actusque, in*
- praxi sæpè occurrens, exemplis ostenditur.*
12. *In ejus originem & causas suasorias inquiritur.*
13. *Quomodo in Patria meâ ista Præsentatio & Confirmatio coram Patronis Pontificiis fieri soleat.*

I.

Postquam quid Jus Patronatus in Territorio Alieno sit, explicui: proximum est, ut ad naturam illius penitus cognoscendam partes ejus sigillatim exponam. Earum tres vulgo statuuntur: Nominatio, Vocatio, & Præsentatio. Carpz. in *Jur. Conf. l. 1. def. 22. n. 3, 4, 5. & Decis. 5. n. 17.* Finkelth. de *J. P. c. 2. n. 12. & seqq.* Böhmer. de *Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. § 11. & seqq.* De quibus in antecessum monendum est, eas quidem omnes Juri Patronatus regulariter inesse; ita tamen, ut duæ priores Nominatio nimirum & Vocatio, salvâ ejus essentiâ ab eâ separari, & alii quàm Patrono competere possint; tertia verò, puta Præsentatio ipsam ejus essentiâ constituat, c. ult. X. de *Jur. patron.* Schilter. in *J. J. Can. l. 1. t. 14. § 9.*

II. Prima itaque Juris Patronatus pars est NOMINATIO, germ. *der Vorschlag* seu *die Ernennung*: quæ est ille actus, quo certa persona (sive una tantum sive plures) ad ministerium sacrum idonea à patrono designatur, & ecclesiæ sive cœtui paræcianorum in suggestu ad videndum & audiendum sistitur, eum in finem, ut si approbata fuerit, legitimè vocetur. Carpzov. *l. 1. def. 22. n. 3.* Rittershus. ad *Novell. p. 1. c. 7. n. 36, 37.* Notandum autem est, vocabulum Nominatio non uno sensu accipi. Interdum enim *generaliter* pro quavis electione usurpatur. Deinde *specialius* ea præcipuè electio vocatur Nominatio, quæ superioris confirmatione opus habet: quo sensu in Jure Civili accipitur, *l. 2. l. 45. l. 46. C. de Decurion. l. 7. l. 11. l. 27. C. de Appellat.* cujusmodi olim erant nominationes

Decurionum in municipiis à Curialibus seu Decurionibus facta, quæ à Præsidibus confirmandæ erant : hinc ipsa Præsentatio parochi, quæ patrono competit, Nominatio vocatur in *Nov. 123. c. 18.* Et in hac significatione vox ista etiam apud veteres Latinos reperitur. v. *Cicer. ad Brut. epist. 7.* *Tacit. Ann. 6, 45, 4.* *Plin. l. 4. ep. 8.* Propriè verò in hac nostra materia, arctiore paulo significato, Nominatio ille appellatur actus, qui electionem præcedit, & in quo deliberari solet, quinam ex omni candidatorum numero præ alijs idonei & digni videantur, quorum in electione ratio haberi debeat. *c. 28. X. de Elect.* quo ipso sensu etiam hoc loco à nobis definita est.

III. Nominatio hujus effectus sive consequens est, quod is quem Patronus nominavit, Ecclesiæ cui præficiendus est, præviâ Episcopi sive Superintendentis permissione (quam patronus vel nominatus petere debet. *Carpzov. in Jur. Conf. l. 1. def. 35.* *Schilter. in J. J. Can. 1, 14, 33.*) in publico suggestu sit, & concionem *δοκιμαστικὴ* sive probatoriam, germ. *Wobd. Predig* ad populum habere debeat. *Carpz. l. 1. def. 33. & 34.* *Schilter. d. l. § 35.* Eam sequi debet *δοκιμασία*, id est, judicium auditoribus sive parochianis concedendum, an nominatus ille ministerio huic idoneus ipsisque acceptus sit; sin minus, ut causas allegare queant, ob quas ipsis non probetur, adeoque nec vocandus esse videatur. *Grot. de Imp. S. P. circa Sacr. c. 10. § 8.* *Brunnemañ. de Jur. Eccl. l. 1. c. 5. § 5.* Neque tamen hujus rei judicium promiscuæ plebis multitudini committendum est; ea enim sæpe clamoribus aut gratiâ aut pretio fortasse excitata moveri solet, ut loquitur *c. 16. caus. 8. q. 1.* sed illius nomine & vice vel Consistorium vel Presbyterium, vel Superintendens, vel ipse Magistratus (scilicet pro cujusque loci more seu consuetudine) judicabit, utrum nominatus minister dignus atque idoneus sit, an verò insigni aliquo laboret vitio, ob quod admitti non debeat. *Carpz. l. 1. def. 31.* *Finkelth. de Jur. Patr. c. 6. n. 79.* *Reink. de R. S. & E. 3, 1, 6, n. 19.* Quemadmodum autem dissensus populi sine justa & sufficiente causa refragantis, vocationem parochi impedire non debet, *Carpz. l. 1. def. 32.* ita contra æquum piisque est, ut si justas recusandi causas habeat, ejus judicio deferatur. Quam ob causam etiam Canones

nonnes sollicitè cavent, ne Ecclesiæ invitæ pastor obtrudatur. c. 1. *difl.* 62. c. 26. c. 27. & c. 36. *difl.* 36. c. 113. *caus.* 1. q. 1. Carpz. l. 1. *def.* 30. Quod ipsum etiam in Ord. Eccl. Elect. Sax. cautum esse docet Carpz. d. l. *def.* 27. n. 11. & *def.* 30. n. 10. his verbis: Dasi keiner Kirchen wider ihren Willen ein Kirchen-Diener aufgetrungen wöerde. Quam in sententiam notabilia sunt verba *Rescripti*, ab eodem d. *def.* 30. n. 11. allegati: Dieweil niemanden ein Seelsorger / wann erhebliche Ursachen der Verweigerung vorhanden / aufzutringen / sondern alles mit gutem Willen geschehen soll. Cæterum quod dixi, personam nominatam cœtui publicè in suggestu sistendam esse, id iis duntaxat in locis observatur, ubi Candidati in Sacrum Ordinem non prius recipiuntur, quàm certæ Ecclesiæ præficiantur: qui quidem mos in Germania & Belgio communiter obtinet, ab eo autem praxis Ecclesiarum in Helvetia nostra Reformata abit; qua de re infra § 8. amplius dicitur.

IV. Quamquam autem ista Nominatio parochi instituendi, qualem hætenus exposui, in Jure Patronatus regulariter locum habeat, & ab ipso Patrono fieri debeat, præsertim si is ejusdem cum Ecclesia patronata religionis & territorij sit: sæpè tamen illa vel prorsus omittitur, vel ab alio quàm à Patrono fit, nempe aut ab Episcopo sive domino territorij, aut ab ipsa Ecclesia patronata. Quod tum maximè usu venit, si Patronus aliam religionem sectatur, quàm cui Ecclesia ista patronata addicta est. Tunc enim vel Episcopus sive territorij dominus (in cujus scilicet diœcesi aut territorio Ecclesia illa sita est), vel si etiam hic diversæ religionis sit, ipsa communitas Ecclesiæ patronatæ certam personam, vel etiam plures, ad munus vacans nominare, Patronoque commendare, & quasi præsentare potest: nam & hæc interdum Præsentatio, sed abusive, appellatur. Schilter. in J. J. *Can.* 1, 14, 10. Id quod summâ æquitate niti videtur: ne scilicet Patronus Ecclesiæ illi invitæ talem præficiat pastorem, qui diversam ab ea, quam parochiani salutarem esse persuasi sunt, religionem profiteatur & doceat. Unde illud passim inter eos, qui diversarum religionum sunt, dudum usu receptum atque observatum fuisse testatur Knipschild, de *Jur. Civ. Imp.* l. 2. c. 3. n. 173. & seqq. qua de re

infra c. 9. plura dicendi locus erit. Hinc in Instr. Pac. Westphal. art. 7. § 1. speciatim cautum est: *Ut si quis princeps, vel territorij dominus, vel ecclesiæ patronus, ad alterius partis sacra transferit, vel principatum aut ditionem diversæ religionis nactus fuerit, liceat hoc casu ipsis Communitatibus præsentare, vel (si præsentandi jus non habent) nominare idoneos Scholarum & Ecclesiarum Ministros: qui deinde à publico Consistorio vel Ministerio, si ejusdem cum præsentantibus vel nominantibus communitatibus sint religionis; vel hoc deficiente, eo loco quem ipsæ communitates elegerint, examinandi & ordinandi, atque à principe vel domino territorij postea sine recusatione confirmandi sunt.* Idem in Helvetia quoque jam antiquitus, & (ut videtur) inde à reformatæ religionis temporibus obtinuit, ac etiamnum obtinet: ut scilicet Patronis sive Collatoribus Pontificiis, à dominis territorij, imò quibusdam in locis ab ipsis ecclesiis patronatis religioni Evangelicæ addictis, vel unus tantum, vel duo, vel (quod usitatus est) tres nominentur; ex quibus Patroni unum eligere atque confirmare possunt. Quà de re cum aliquando inter Præsulem Sangallensem & Communitates Evangelicas in Rheguscia, im Rheynthal / controversia orta fuisset, Ob nemlich die Collaturen ald Kirchen-Sâg im Obern Rheynthal dem Herren Prælaten zu Sant Gallen / oder denen Evangelischen Underthanen der enden zugehörig seyn sollen: illa ab Arbitris utrinque delectis anno 1632. ita decisa, vel potius amicè transacta fuit, Daß denen Ober- Rheynthalischen Gemeinden zugelassen seyn solle / ihre Seelsorger und Predicanten bey den Evangelischen Orten lobl. Eydgnoßschafft zu suchen; da sie zwen Jhro Fürstl. Gnaden zu Sant Gallen / neben Fürschreiben der Orten da sie genommen worden / daß sie ehrlichen Herkommens und Leumdens / auch zum Predig- Amt examinirt und admittirt seyen / sollen fürstellen / einen anzunehmen. Welchem dann Wolgedacht Jhre Fürstl. Gnaden / oder derselben Amtmann / die Predicatur samt zugehörigen Lehen zu verleihen / und das Gelübd / wie von altem bräuchig gewesen / von Jhme nehmen zu lassen / gewalt seyn wirdt. Sic etiam in nuperrimâ Pacificatione Aroviæ anno 1712. conc'usâ, art. 2. sancitum fuit: *Es sollen die Herren Collatores derjenigen Pfrunden / u. o die Pfarrer dem Züricher Synodo einverleibt*

leibt sind/ aus drey tauglichen Subjectis, so ihnen von dahero vorgeschlagen werden / eines daraus zu erwählen haben. Quanam autem sint ista Parochia, curiosus lector in *Bluntschlin's Memorabil. Tigurin. p. m. 403. & seqq.* reperiet.

V. Postquam ita Nominatio uno vel altero modo facta est, & ecclesia patronata eum qui à Patrono, vel Patronus eum qui ab ecclesia illa ejusve magistratu (secundum ea quæ dixi) nominatus fuit, approbavit: sequitur porrò VOCATIO, germ. die *Veruffung*; quæ est ille actus, quo patronus pastorem à se nominatum, & à parochianis approbatum, aut à parochianis sibi nominatum (vel, si plures nominati fuerint, unum ex illis) eligit, eique literas vocationis tradit aut mittit, ut illius loci parochus sit. Finkelth. *de Jur. Patr. c. 2. n. 18.* Carpz. *l. 1. def. 22. n. 4.* Verùm nec ista pars Juri Patronatus semper cohæret, sed interdum parochianis vel senatui competere potest: unde à jure vocandi ad jus patronatus probandum consequentia nulla est. Schilter. *in J. J. Can. l. 1. t. 14. § 11.* Bohmer. *de Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. § 12.*

VI. Tertia pars Juris Patronatus est PRÆSENTATIO, germ. die *Fürstellung* seu *Fürsetzung*: quæ est ille actus, quo patronus nominatum & vocatum cum literis vocationis & præsentationis ad Episcopum vel domini territorialis Consistorium ablegat, eique sistit, ut ab eo ordinetur, confirmetur & investiat, Carpz. *l. 1. def. 22. n. 5.* Finkelth. *de J. P. c. 2, n. 15.* Bohmer. *de Jur. Par. sect. 3. c. 1. § 13.* Ea à Justiniano imperatore *Nominatio* vocatur in *Novell. 123. c. 18.* stylo, qui juri civili (ut superius dixi) familiaris est; quamvis aliàs (ut ex iis, quæ hucusque dicta sunt, liquet) *Nominatio* & *Præsentatio* distingui soleat. *Præsentatio* ista, ut supra jam attigi, est pars Juris Patronatus maximè essentialis, adeò ut ei qui vel hanc solam habet, Patroni nomen atque *ἀξίωμα* tribuatur. *c. ult. X. de Jur. Patron.* unde *Patroni* etiam *Præsentatores* vocantur, *c. 4. X. de Offic. jud. ord.* Ipsa autem vox *Præsentationis* satis innuit, ad eam non sufficere literas, quibus Patronus eum, quem vocavit, episcopo vel domino territorii designet; sed insuper requiri, ut vocatus episcopo vel consistorio præfens sistatur & coram offeratur; id quod eum in finem sit, ut
ille

ille ab hoc examinari, ejusque virtus eruditio & aptitudo explorari possit. Carpz. l. 1. def. 48. Schilter. in J.J. Can. 1, 14, 28. Ex quo sequitur, quod si designatus ille parochus jam antea ordinatus fuerit, ac de ejus doctrina & pietate episcopo vel consistorio aliunde jam constet, non amplius examinari debeat; imò etiam ob fonticam aliquam causam quæ ejus præsentiam impedit, absens confirmari possit. Carpz. l. 1. def. 49. Brunnemann, de Jur. Eccl. l. 1. c. 5. § 28. Cæterum ista Præsentatio, utpote in qua potissimum Patroni jus consistit, eo cum effectu est intelligenda, ut episcopus dominusve territorii non possit non eam acceptare ratamque habere, atque adeò præsentare teneatur; nisi graves fonticasque recusandi causas habeat: ut *infra c. 9*, ubi de Juribus Patroni tractabitur, pluribus dicitur.

VII. Explicatis jam partibus Juris Patronatus, haud abs re erit, illos etiam exponere *actus*, qui *ex parte Episcopi* vel ejus cui jus & cura Sacrorum competit, accedunt: ut scilicet inde constet, quomodo præsentatio à patrono facta consummetur atque perficiatur, adeòque minister præsentatus ecclesiæ vacanti præficiatur. Eorum autem tres sunt, perinde ut *tres* esse Juris Patronatus partes dictum est; nimirum Ordinatio, Confirmatio, & Investitura.

VIII. ORDINATIO ille dicitur actus, quo candidatus, præmissis de ejus doctrina & vita examine idoneus dignusque repertus, ad sacrum ministerium certis ritibus à pastore ecclesiæ, uno vel pluribus, consecratur, eique potestas prædicandi verbum, administrandi sacramenta, & exercendi claves, confertur. Rituum præcipuus est *Impositio Manuum*: unde totus hic actus græcè *Xepobeia*, à scriptoribus verò ecclesiasticis posteriorum à nato Christo seculorum etiam *Xepotovia* (quamvis refragante nonnihil etymologia; ista enim vox non tam ab imponendis in consecratione manibus, quam ab iis in electione protendendis sive elevandis dicta esse videtur) vocatur. Grot. de Imp. S.P. circa Sac. c. 10. § 2. Schilter. in J.J. Can. 1, 15, 1. Eam juris divini esse evincitur ex Act. 9: 12, 17. & 13: 2, 3. 1. Tim. 4: 14. & 5: 22. quæ tamen loca non de *preceptivo*, sed *permissivo* tantum jure intelligenda esse, ex eo ap-

paret, quod nullum de Manuum Impositione præceptum in Sacro Codice reperitur. Præterea hunc ritum Apostoli liberè adhibuerunt, ideò scilicet, quod is Hebræis valdè usitatus erat; qui quod benedictum & consecratum volebant, manuum impositione Deo quasi repræsentabant. Calvin. in *Inst. Rel. Chr.* 4, 3, 16. Hodie verò in nostris ecclesiis laudabiliter retinetur: non tamen (ut verbis Jll. Pufendorf. de *Hab. Rel. Chr. ad Vir. Civ.* § 39. loquar) usque adeò necessarius est, ut citrà illum legitimus quis ecclesiæ minister esse nequeat; præsertim cum efficacia miraculosa, quæ primis ecclesiæ temporibus istum ritum comitabatur, 1. *Tim.* 4: 14. dudum exoleverit. add. Calvin. *d.* § 16. Heidegg. in *Corp. Theol. loc. 27. sect. 1.* § 34. Stryk. *not. ad Brunnem.* 1, 15, 19. Bohmer. de *Jur. Par.* 3, 1, 25. & seqq. Ista autem Ordinatio demùm post Præsentationem in iis tantùm ecclesiis peragitur, ubi usu receptum est decretum *Concil. Chalcedon. can. 6.* qui allegatur in *c. 1. dist. 70.* Μηδέν ἀποκλειόμενος χειροτονείσθαι hoc est, *Ut nemo absolute ordinetur.* Quod in *Concil. Placent.* ita explicatur, *Ne ordinatio sine titulo fiat. c. 2. d. dist. 70.* Titulus autem hic vocatur certa aliqua sedes sive parochia, ex qua ordinatus necessaria vitæ percipit. 1. *Feud. c. 6.* Stryk. in *Exam. Jur. Feud. c. 5. q. 5.* Adedque, ubi nemo ad sacrum Ministerium vocatur, nisi simul ecclesia aliqua particularis ei pascenda committatur; ut in plerisque Germaniæ locis moris est. In illis verò ecclesiis, ubi Candidati ad S. Ministerium ante iniantur, quàm certæ alicujus ecclesiæ gubernacula ipsis tradantur, Ordinatio Præsentationem præcedere solet, adedque hic locum non ampliùs habet: qui mos in *Anglia* obtinet, ut auctor est Grot. de *Imp. S. P. circa Sacr. c. 10. § 2.* Stryk. *ad Brunnem.* 1, 5, 21. Act. *Erudit. ann. 1685. p. m. 103.* nec non in *Helvetia* nostra, teste Heidegger. in *Corp. Theol. loc. 27. sect. 1.* § 33. cum hoc tamen temperamento, ut Candidatis prædicatio quidem Evangelii & administratio Sacramentorum committatur: manuum autem impositio differatur, donec ecclesiæ alicui particulari præficiantur, ac in muneris hujus possessionem immittantur. Heidegg. *d.* § 33. *post m.* unde nec potestas clavium illis confertur, cum hæc certam ecclesiã

elefiam certosque homines Pastoris curâ commiffos, in quos illa exerceatur, fupponat.

IX. Ordinationem excipit CONFIRMATIO, quâ minister à patrono vocatus ac præfentatus ab epifcopo vel domino territorii approbatur atque recipitur. In cujus rei fidem plerisque in locis pastori ita confirmato *Literæ publicæ* (quæ à Carpz. *l. 1. def. 52. n. 5. testimoniales vel confirmatoriæ* appellantur) nomine Epifcopi vel Confistorii fcriptæ tradi folent. Carpz. *d. def. 52. n. 1. Ordinat. Ecclef. Haf. § Und dieveit zum theil.* apud Reinking. *de R.S. & E. l. 3. cl. 1. c. 9. n. 74.* Ex autem ipfi Pastori, non Patrono, vel alii, in originali (ut loquuntur) exhibendæ atque relinquendæ sunt: per eas enim ipfius persona ad munus hoc quali legitimitur, adeoque ejus potiffimum interest eas affervare. Carpz. *d. def. 52. n. 4.* Ubi tamen probare non possum, quod ibidem cum Balduino fuo, ut hanc Confirmationem divini juris effe ostenderet, dictum *1. Tim. 3: 7.* obtorto quasi collo huc trahit: nam Apoftolum ifto loco per *μαρτυριαν καλην*, non testimonium ejusmodi charitaceum, fed tale, quod vitæ innocentia morumque fanctitas ipfi præbet; per *τας ἐξωθεν* autem non eos, qui sunt extra parochiam illam, fed paganos five infideles, qui adhuc extra ecclefiam sunt, intelligere, ipse verborum contextus, fimilesque formulæ *Act. 6: 3.* & *1. Cor. 5: 12.* fatis ostendunt. In constitutione Epifcoporum olim hoc speciale fuit, quod Confirmatio (quæ alio nomine *Investitura* dicebatur. Schilter. *in J. J. Can. 1, 7, 11.* & *1, 16, 4.* Ziegler. *in Not. ad Decretal. 2, 13, 12.*) Ordinationem præcedebat. *c. 18. dist. 6.* Schilter. *d. l.* fiebatque *Annulo & Baculo* in manus Epifcopi tradito. Non enim fas erat, quemquam, etsi à clero & populo unanimi voto electum, prius ordinari & consecrari, quam de consensu Imperatoris constaret, hunc effe debere epifcopum: cujus consensus signum five index erat Annulus & Baculus epifcopo traditus. Conring. *de Constit. Episc. Germ. § 35.* Quanam tandem Confirmationis effecta & jura exteriora sint, breviter indicat Grotius *de Imp. Summ. Pot. circa Sacr. c. 10. § 2. sub f.* quod scilicet per eam Pastori species quædam Jurisdictionis vel saltem Notionis tribuitur,

tribuitur, quam Audientiam vocant; unde *rubr. C. de Episcopali Audientia*: quod ei aliqua etiam ἀλειεργασία, id est, immunitas à muneribus publicis, & in quibusdam causis à foro inferiorum judicum exemptio conceditur: quod denique ipsi tum habitatio in ædibus parochialibus (*Wfar-Haus*) tum etiam stipendium sive salarium è publico assignatur; idque vel in fundis, eorumve redditibus (puta decimis, majoribus aut minoribus, censibus, *Grund-Zinsen*) vel in certâ frumenti, vini, pecuniæque summa; quorum illud, *eine Güter-Pfruend*; hoc, *eine S. sten Pfruend*/ quibusdam in locis appellari solet.

Denique subsequitur INVESTITURA, quæ ultimus est actus, quo minister electus & confirmatus cœtui sive ecclesiæ solenni ritu sistitur, ibique initiatur, & in actualem novi sui muneris possessionem immittitur. Originem hujus vocis alii in Latio, alii in Germania quærun. v. *Struv. in S. J. F. com. ad c. 8. apb. 1. Stryk. in Ex. Jur. Feud. c. 12. q. 1.* Illi eam derivant à voce latina *investire*, quæ significat, *veste aliquâ induere*. Utitur eâ *Plin. in Hist. Nat. l. 35. c. 7.* eique oppositâ, *devestire* *Apulej. in Metam. l. 4. post pr.* Ratio hujus appellationis hæc esse videtur, quod inaugurandus nonnunquam solenni aliqua veste induatur: quale est ex. gr. carum illud *Pallium Episcopale*; de quo vid. *t. t. X. de Autor. & usu Pall.* *Reink. de R. S. & E. 3, 1, 8. n. 31. Schilter. in J. J. Can. 1, 7, 17.* cujus materiam conficiendique modum describit *Sleidan. de Stat. Rel. & Reip. l. 4. p. m. 82. & l. 13. p. m. 349.* item *Stola*, qua *Parochus* nonnunquam in collatione officij induitur. v. *Böhmer. de Jur. Paroch. sect. 6. c. 2. § 4.* nec non *Paludamentum* sive *Pallium* splendidissimum, quo *Rex Romanorum* in solenni Coronationis actu vestiri solet. v. *Schweder. de Jur. Publ. part. spec. sect. 1. § 34. & 36.* Qui vero dictionem illam germanicæ originis esse existimant (quos inter *Grotius* est), eam deducant à voce *vesten* seu *befestigen*/ hoc est, *stabilire* sive *confirmare*; quam etymologiam etiam probat *Lex antiqua Longobardorum*, apud *Liudenbrog. t. 18. l. 7.* quæ ait: *Vestitura est feudi confirmatio, vestibus adhibitis facta; & vestire, est confirmare.* A quocunque fonte hæc vox derivetur, significat juris qualiscunque collationem; ideoque apud veteres auctores officiis omnibus tum

civilibus tum ecclesiasticis aptata reperitur. Grot. *de Imp. S.P. circa Sacr. c. 10. § 22. p. m. 160.* imprimis verò in Jure Feudali frequentissime occurrit, atque etiam *Investitio* dicitur. 1. *Feud. 26. pr.* Ea autem in præsentè argumento secundum mores hodiernos non Confirmationem, ut olim, denotat; sed Immisionem confirmati in ecclesiam sibi commissam. Schilter. *in J. J. Can. 1, 16, §. five.* solennem traditionem potestatis Verbi & Clavium in ecclesia aliqua particulari. Ziegler. *in Not. ad Decretal. 2, 13, 12. Mev. p. 3. decis. 133. n. 7.* Alio nomine dicitur *Institutio. c. 1. de Institut. in 6^{to}.* Schilter. *d. l. § 6.* nec non *Introductio. Mev. d. l. n. 1.* in Helvetia nostra *Præsentatio* vocari solet. Ott. *in Eth. Chr. l. 2. c. 16. p. m. 278.* Heidegg. *in Corp. Theol. loc. 27. § 33. post m.* sed alio planè sensu, quam vox ista communiter à Dd. & supra etiam à me sumta fuit. Germ. *Die Einweisung/ Einführung/ Auführung.* In ea varij ritus atque ceremoniæ pro varietate locorum adhibentur. Forma investiendi in Ecclesiis *Saxonie* exponitur in *Churfürstl. Sächs. R. O. fol. 100. & seqq.* unde eam breviter describit Finkelth. *de Jur. Patr. c. 2. n. 18.* Quomodo in ditione *Tyurina* peragatur, refert Ottius *in Eth. Chr. d. l. & Lavater. de Ritib. Eccl. Tig. tit. 2.* quæ cum ritibus in ditione *Scaphusiana* observari solitis planè conveniunt: ab ijs verò, qui in territorio *Basilienf* asitati sunt, haud paulo differunt. An autem Patronus quoque ad hunc investituræ actum requiri debeat, *infra c. 9.* inter jura Patroni commodior dicendi locus erit. Effectum hujus Investituræ exponit *Mev. p. 3. decis. 133. n. 7.* Est, inquit, *Institutio quadam velut traditio potestatis Verbi & Clavium in Ecclesia: quæ ideo publicè necessaria est, ut nemo se in ecclesiam ejusque curam intrudat; ecclesia verum suum pastorem noscat; pastori illa concedita habeatur; & quod inter utrumque indissolubile (vinculum) esse debet, per commendationes & preces eo solidius firmetur, omnisque suspicio & ausus (f. leg. abusus) tollatur.* Per eam quoque bona parochialia Parocho tradi censentur. *Böhmer. de Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. § 41.* ad exemplum Investituræ Feudalis, quæ symbolicam quandam rerum feudalium traditionem continet. Schilter. *in Comment. ad Jus Feud. Alemann. c. 4. § 2, 3.* In hac investiturâ vinculum ad instar Conjugij inter Ecclesiam

fiam seu Parochianos & Pastorem seu Parochum contrahi volunt. Carpz. l. 1. def. 54. n. 3. *ibique alleg.* quod suo sensu admitti potest: dummodo Pastor meminerit, Ecclesiam non sibi sed Christo desponsari; se autem *Paranymphum* duntaxat esse. arg. *Job. 3: 29.* & *2. Cor. 11: 2.*

XI. Et ita quidem regulariter se habent Actus illi, qui in Pastorum constitutione, ex parte tum Patroni, tum Episcopi vel Domini territorij intervenire solent. Cæterum si ipsam *praxin* sive *usum* (qui optimus rerum magister habetur) consideremus: profectò multis in locis, præcipue ubi inter Patronum extraneum & Episcopum sive Dominum territorij diversitas religionis intercedit, magnam *irregularitatem* circa actus istos deprehendimus. Idque non in eo duntaxat, quod tunc Nominatio vix penes Patronum, sed ferè penes Ecclesiæ patronatæ Episcopum vel Dominum territorialem est; secundum ea quæ § 4. dicta fuere; id quod naturam Juris Patronatûs non magnoperè alterat, cum Nominatio ad ejus essentiam non pertineat, ut supra § 1. indicavi: verum etiam in hoc quod ipsa Præsentatio, quæ tamen Juris Patronatûs essentiam constituere dicitur, sæpius non à Patrono ad Dominum territorij, sed inverso planè modo à Domino territorij ad Patronum fiat; versâque vice Patrono Confirmatio competat, quæ alioquin regulariter ad territorij dominum pertinet. Cujus moris insignia exempla in inclytâ hac Civitate *Basiliensi*, nec non in *Scaphusiana*, almâ meâ patriâ, extant: in cujus utriusque territorij vicini quidam Præsules Pontificij Jus Patronatus quorundam pagorum ruralium habent. Quod ita exerceri solet, ut Magistratus civitatis, tanquam dominus territorij, suo jure Pastorem, & quidem unum duntaxat, eò eligit: quem deinde ad eum Præsulem, qui illius loci Patronus est, mittit atque adeò præsentat; qui eum citra contradictionem confirmare ac debitum ipsi salarium assignare solet: quo factò Magistratus ad investituram electi & confirmati procedit. Quodsi quis contendat, actum illum, quo iste Magistratus pastorem eligit, *Nominationem*; hunc verò actum, quo Præsul istum nominatum approbat, illique quasi remittit, *Præsentationem* appellari posse; adeoque modum procedendi nihilominus regularem esse: eum

ego oppidò falli existimo. De priore equidem non magnopere repugnabo : cum inter perfectam Electionem, & eam Nominationem, quã nonnisi unus designatur, quem alter non potest non acceptare, revera nihil intersit. At posterius quod attinet, equidem non video, quomodo iste, quem dixi, Patroni actus, verè & congruenter Præsentatio dici possit ; cum & etymologia vocis, & rei ipsius definitio, prout ex superioribus allata atque confirmata fuerunt, refragetur : utraque contra eum actui, quo Magistratus sive dominus territorij Pastorem à se electum Patrono mittit sistitque, examussim conveniat. Quid quod in ipso etiam usu styloque curiæ actus ille Magistratus, Præsentatio; Præsulis autem actus, Confirmatio, die *Bestätigung* oder *Annemmung* / disertè appellari solet. Quo faciunt verba in antiquâ *Ordinat. Eccles. Scaphus.* non diu post Reformationem conscripta : *Wann Unseren Gnädigen Herren / von dem Lehen-Herren (i. e. à Patrono) die Pfarz zu verleihen vergunt worden/ soll der erwählte dem Lehen-Herren sürgestellt werden/ das Lehen von ihme zu empfangen.* Præterea si actus ille Patroni in casu proposito Præsentatio appellaretur, ubi maneret Confirmatio, quæ tamen istam necessariò sequi debet? Nam postquam Pastor ille nominatus, à Patrono approbatus atque admittus fuit; nullum amplius actum ex parte istorum Magistratuum intercedere videmus, qui aliquam Confirmationis vicem aut instar gerat. Ut proinde actus illos aliter nominare, nihil esset aliud, quàm nominibus vim inferre; nec vocabula rebus, sed res vocabulis attemperare : quod perinde foret, ac τῷ περὶ σέβην, h. e. lineam lapidi, vel pedem calceo, non lapidem lineæ vel calcem pedi, aptare velle. Ego sanè, quem utpote Scaphusianum *scapham scapham appellare* quàm maximè decet, actus illos haud aliis nominibus vocare velim, quàm quæ ex origine vocis, ex definitione rei, & ex ipso denique usu illis convenire video.

XII. Certum igitur est, in his quæ dixi locis, & sicuti forsitan præterea mos ille receptus sit, Patrono pro Præsentatione Confirmationem, ac vicissim Domino territorij pro Confirmatione Præsentationem competere; atque adeo eos iithac sua jura invicem quasi permutasse. Id quod non nisi per pactum

etum atque conventionem sive expressam sive tacitam, nec sine idoneis *causis suavorijs* factum fuisse, verisimile est. Scilicet cordatiores Præsules ex ipsis etiam Pontificijs reputabant, æquius esse & convenientius, ut cujusque religionis affectu suos Parochos ipsimet eligant atque præsentent; Patronis contra Confirmatione relicta, utpote quæ istis tantundem valeret ac Præsentatio. Videbant præterea, isthac ratione omnia planius atque facilius procedere; contra priorem illum modum regularem & ordinarium inter eos qui diversa sacra exercent, variis incommodis atque difficultatibus subiectum esse. Cum igitur miti placidoque ingenio, & tranquillitatis bonæque vicinitatis amantes essent: maluerunt juribus suis eo modo uti, qui quamvis à communibus regulis recederet, ipsis tamen nihil præjudicij aut detrimenti afferret, cæterum paci atque amicitia alendæ magis conducere videretur. Quicquid autem de istius moris origine causisque suavorijs sit; certum est, eum in iis quæ dixi locis longissimi temporis possessione, usuque plus quam sesquisecolari niti: ut proinde nec ibi ab illo amplius recedi, nec alibi ubi diversus viget modus, ille introduci queat; nisi forsan omnium quorum interest consensu id fiat: cum diuturna consuetudo & praxis, optima Juris Patronatus, saltem quoad ejus exercitium, norma sit, & utramque ibi paginam faciat; ut infra suo loco pluribus ostendetur.

XIII. Hic non abs re esse existimo, paulò *specialius* exponere, quomodo *in Patriâ meâ*, ista Præsentatio & Confirmatio Pastoris *coram Patronis Pontificiis* fieri soleat; cum ibi nonnulla notatu haud indigna occurrant. Nimirum postquam Pastor pro ecclesia ejusmodi patronatâ vacante, ab Amplissimo Magistratu more ordinario (quem forsan inferius indicabo) nominatus atque electus fuit, sine morâ ad Patronum Pontificium illius parochiæ mittitur, datis ei literis, quibus Magistratus eum, tanquam idoneum & doctrinâ vitæque ἀνεπίληκτον sive irreprehensum, Patrono commendat; ejusque approbationem sive acceptationem (Wesiebung oder Annemmung) atque investituram (quæ ipsa vox in illis literis usurpatur) petit. Hic igitur Patrono se sinit sive præsentat, literas Magistratus sui exhibet, eandemque petitionem, sive oretenus sive per scriptum

scriptum seu libellum, proponit. Atque hæc est ea, quam dixi, *Præsentatio*. Respondet verò Patronus, vel ipse vel per officialem: & si quidem eum approbat & acceptat (ut nunquam non fieri solet), certi quidam articuli secundum antiquam formulam concepti ei præleguntur; quos iste se observaturum, datâ manu juramenti loco promittit (mit Hand-gegebener Treu an rechter Eyds-statt angelobt). Quo facto, à Patrono confirmatur, atque ita munus parochiale (quod illi *Prædicaturam* vocare solent) ei confertur. Hic Patroni actus, quem reverà *Confirmationem* esse apparet, in ipsis etiam literis publicis *Investitura* appellatur (sed longè alio sensu, quam vox ista aliàs in hac ipsâ materia communiter sumi solet; ut ex collatione eorum quæ *supra* § 10. dicta sunt, constare potest): idque meo iudicio, non incongruè. Cùm enim Jus Patronatus sapissimè ein Pfarz-Lehen / ein Kirch-Lehen / id est, feudum parochiæ vel ecclesiæ, ipseque Patronus ein Lehen-Herr / id est, dominus feudi, appellari solet: non est inconveniens, ut iste actus, quo Patronus parochiam (sicut ille, quo feudi dominus vasallo feudum) confert, *Investituræ* nomine exprimitur. Cæterum quemadmodum in testimonium Feudi per *Investituram* collati, Dominus Vasallo literas feudales seu instrumentum *investituræ*, einen Lehen-Brief / (quod in jure feudali *breve testatum* vocatur i. Feud. 4. pr.); & Vasallus vicissim Domino literas reversales, einen Revers-Brief / tradere solet: ita hic similiter moris est, ut Patronus Parochus à se investito literas *investituræ* sive *installationis*, (quæ disertè Lehen-Brief / vel Bestätigungs-Brief / vocantur); & vicissim Parochus Patrono literas reversales, einen Revers / exhibet. *Litterarum Investituræ* tenor officia Pastoris comprehendit; eaque tum erga *Parochianos*, ut eos (quod mirè) sanâ doctrinâ ex Sacris Scripturis haultâ imbuat, & ad obedientiam magistratui suo præstandam, vitæque probitatem inducere satagat; tum erga *Patronum*, ut ejus dignitatem, honorem, atque utilitatem tueatur, nullumque ejus juribus detrimentum inferat, nec non stipendio sive salario antiquitus constituto (quod alicubi in his ipsis literis designari solet) contentus esse, nec quicquam ultra petere aut exigere velit. *Literis Reversalibus* verò, literæ inve-

investituræ ad verbum inseruntur, Parochusq; solenniter pro-
mittit, se omnia ista fideliter observaturum esse; additâ ali-
cubi etiam hæc clausula commissoria: *So er einen oder mehr*
von diesen Artikeln nicht hielte / so soll die Pfarz verurtheilt / und
dem Lehen - Herren wider heimgefallen seyn. Omnibus hisce ita
peractis, tum demum novi istius Pastoris inauguratio, & in
munus suum immissio Magistratûs auctoritate fit, quam com-
muniter *Investituram* appellari supra dixi; in qua Patroni nul-
lâ amplius partes sunt. Hæc ideò pluribus exponere volui,
tum ut eo magis constaret, istum Patroni actum Confirmatio-
nem potius quàm Præsentationem esse: *tum* ut aliis occasio-
nem darem, hanc quæ in Patriâ meâ obtinet praxin, cum eâ
quæ apud ipsos observatur, conferendi.

C A P. IV.

Divisiones variæ Juris Patronatûs
in Territorio Alieno.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Jus Patronatus variè divi-</i>
<i>ditur.</i> | 6. <i>Quinta, in id quod singulis</i>
<i>Personis & quod integris Com-</i>
<i>munitatibus competit.</i> |
| 2. <i>Prima divisio est, in Ecclesia-</i>
<i>sticum & Seculare.</i> | 7. <i>Sexta, in Nudum & cum alio</i>
<i>jure Conjunctum.</i> |
| 3. <i>Alterâ, in Plenum & Minus-</i>
<i>plenum.</i> | 8. <i>Septima, in Regulare & Irre-</i>
<i>gulare.</i> |
| 4. <i>Tertia, in Liberum & Restri-</i>
<i>ctum.</i> | 9. <i>Octava, in Similare & Dissi-</i>
<i>milare.</i> |
| 5. <i>Quarta, in Solitarium & So-</i>
<i>litarium.</i> | 10. <i>Nona, in Proprium & Im-</i>
<i>proprium sive Honorarium.</i> |

I.

Juris Patronatûs in Territorio Alieno divisionem in partes,
ejusdem variæ *Divisiones in Species* commodè nunc excipi-
ent: in quibus exponendis eo brevior ero, quo faciliùs
illa ex iis, quæ hucusque à me dicta sunt, intelligi poterunt.

F

II. Pri-

II. Primò igitur Jus illud Patronatùs in *Ecclesiasticum* & *Seculare* dividitur. *Illud* est, quod Ecclesiæ alicui ex ipsius bonis acquisitum est. *Hoc*, quod Laicus vel Clericus ex propriis suis bonis acquisivit. Reinking. *de R. S. & E.* 3, 1, 9. n. 45, 46. Brunnemann, *de Jur. Eccl.* 2, 8, 3. ibique Stryk. in *Not.* Illud à quibusdam *Clericale*, hoc *Laicale* appellatur. Weber. *de Jur. Patron.* § 28. Quodsi tamen Jus Patronatùs, quod ex patrimonio seculari originem habuit, postea in ecclesiam iusto titulo translatum sit; id non amplius *Seculare*, sed *Ecclesiasticum* censetur. *c. un.* § 1, *de Jur. Patr.* in 6^o. Steph. *de Jur. Patr.* c. 9. n. 9. & 23. Reink. *d. l. n.* 47. Stryk. in *Not. ad Brunn. d. l.* Vicissim si Jus Patronatùs, quod ratione bonorum ex quibus comparatum fuit, *Ecclesiasticum* est, ad *Laicum* perveniat; id mutata suâ naturâ *Seculare* efficitur. Barbos. *de Jur. Eccl. l. 3. c.* 12. n. 16. Covarr. *Pract. Quæst.* 36. n. 5. Steph. *de Jur. Patr. d. l. n.* 25. Cæterùm duæ istæ species ratione effectûs in eo differunt, tum quòd patronus *laicus* intrâ quadrimestre spatium parochum præsentare tenetur: *ecclesiastico* autem semestre indultum est. *c. 3. in f. & c. 27. X. de Jur. Patr. & c. un. eod. in 6^o.* tum, quod patrono *laico* licet variare, hoc est, uno præsentato alium, re adhuc integrâ, præsentare: *ecclesiastico* autem non licet. *c. 24. & c. 29. X. de Jur. Patr.* Sunt, qui duabus hisce speciebus, tertiam addunt, nempe *Mixtum*; quod ecclesiæ & laico commune est. Weber. *de J. P.* § 35. Barbos. *de J. E. l. 3. c.* 12. § 17. Sed hoc in favorabilibus merè *Ecclesiasticum* censetur, ita ut *Laicus* non tantùm quatuor, ut aliàs, sed sex mensium spatium, sicut Clericus, ad præsentandum habeat. Ziegler. *ad Lancelot.* 1, 2, 8, 3. Confil. Argentor. *tom. 1. conf.* 35. n. 39, 40. Stryk. *ad Brunnem.* 2, 8, 28. Engel. in *Coll. Jur. Can.* 3, 38, 12. nam privilegium ecclesiæ hic transit ad laicum; ad modum ejus, qui rem cum pupillo communiem habet. *l. 10. pr. ff. Quemadm. serv. amitt.* Quod si verò convenerit, ut præsentatio alternis vicibus fiat: tunc in vice sive (ut barbarè loquuntur) in *turno* ecclesiæ totum *ecclesiasticum*; in turno autem laici totum *seculare* censerì, existimat Barbos *de Jur. Eccl.* 3, 12, 17.

III. Altera divisio Juris Patronatùs est, in *Plenum* & *Mixtum-plenum*. *Illud* voco, quando omnes tres illius partes pe-
nes

nes patronum sunt, ita ut & nominandi & vocandi & præsen-
tandi jus habeat. Id graphicè admodùm & nervosè in Spar-
teutschen Secretariat-Kunst IV. Theil/ 4te Vorstellung/pag.m. 372.
ita describitur: Ein rechtes Jus Patronatûs formale besteht ei-
gentlich darinnen/ daß ein rechtmäßiger Kirchen-Patron die freye
Willkühr und Wahl hat / ein tüchtig und geschicktes Subjectum
bey begehender vacanz zum Pfarr-Dienst/ ohn alle Eintrag des
Episcopi zu denominieren / zu vocieren / und zu præsentieren;
Worbey es auch die geistliche Consistoria bewenden lassen müssen/
und keinen andern zu solchem Pfarr-Dienst befördern dürfen/
wann an jenes Lehr und Leben nichts zu tablen sich befindet. adde
ibid. p. 374. Hoc appello, quando alius nominationem vel vo-
cationem habet, patrono autem præsentatio, vel sola vel una
cum vocatione aut nominatione tantùm, competit. Tale jus
Minus-plenum vi *Instrumenti Pacis Westphalicæ* habet omnis
Patronus, qui diversam ab ecclesia patronata religionem am-
plectitur; secundum ea, quæ *supra* c. 3. § 4. exposui.

IV. Tertio etiam dividi potest in *Liberum* & *Restrictum*;
sive, in *Absolutum* & *Limitatum*: eodem sensu, quo Pufend.
de J. N. & G. 7, 7, 6. electionem ad imperium civile in Libe-
ram & Restrictam distinguit. *Liberum* sive *Absolutum* est, cum
patronus quemlibet citrà exceptionem eligere & præsentare
potest, dummodò ad sacrum ministerium obeundum idoneus
sit. *Restrictum* sive *Limitatum* est, quando patronus pastorem
idoneum non nisi ex certa aliqua regione, natione, civitate,
aut familia oriundum, vel peculiari quadam qualitate prædi-
tum, eligendi atque præsentandi jus habet. Equidem omne
Jus Patronatûs regulariter, & ubi aliter dispositum non est, Li-
berum esse censetur: id tamen conventionem, vel lege, vel con-
suetudine aliquo modo restringi atque limitari potest. Carpz.
in Jur. Conf. l. 1. def. 24. & 25. Steph. *de Jur. Patr. c. 29. n. 3.*
Sic multis in locis observare licet, eum qui Jus Patronatûs in
territorio alieno habet, adstrictum esse, ut non nisi indigenam
seu ex illo territorio oriundum, vel civem ejus civitatûs, in
cujus ditione parochia patronata sita est, præsentare possit.
Atque huc ille quoque casus pertinet, cum Patronus ex duo-
bus aut tribus, ei ab episcopo domineve territorii vel ab ipsa
ecclesia

ecclesia patronata nominatis, unum eligere atque præsentare tenetur: uti sæpius fit, hujusque moris in *Helvetia* nostra explorum abunde est.

V. Porrò Jus Patronatús est vel *Solitarium* vel *Socium*; sive, eodem sensu, vel *Proprium* vel *Commune*. Illud voco, quod penes unum tantum patronum est. Hoc, quando unius ecclesiæ sive parochiæ duo pluresve sunt patroni, quibus Jus Patronatús communiter competit: propterea quod vel primitus ecclesiam sive templum communi sumtu extruxerunt aut dotarunt, aut unus extruxit alter dotavit; vel quod postmodum jus patronatús ex unius defuncti hereditate ad duos pluresve heredes pervenit, aut quidam tanquam consortes id sibi communiter acquisiverunt. Carpz. l. 1. def. 45. n. 1, 2. Consil. Argentor. tom. 1. conf. 35. n. 27, 28. & tom. 2. conf. 87. n. 29. & seqq. In hac posteriori specie, si plures isti Patroni in præsentando dissentiant, pluralitas suffragiorum obtinebit. c. 3. X. de Jur. Patr. Si verò patronorum vota paria sint, ambo præsentari possunt, relicta episcopo vel domino territorij facultate eligendi & confirmandi quem velit. Brunnem. de Jur. Eccl. 2, 8, 18. Reink. de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 13. Finkelth. de Jur. Patr. c. 6. n. 8. Id quod convenientius esse videtur, quam ut res sorte decidatur; quamquam Balduin. in Cas. Consc. l. 4. c. 5. cas. 6. & ex eo Reink. d. l. n. 31. Carpz. d. def. 45. n. 7. si præsentati qualitatibus æquales sint, sortem admitti posse putent. Optimum autem est, ut isti Compatroni inter se conveniant, de præsentatione alternis vicibus exercendâ, c. 2. Clement. de Jur. Patr. Carpz. d. def. 45. n. 10. quæ alternatio aliàs vocari solet *præsentatio turni* vel *per turnum*. Ziegler. ad Lancellot. 1, 28, 12. Stryk. ad Brunnem. 2, 8, 18. voce à gallico vocabulo *tour* deductâ: qui sanè modus ad præcidendas lites commodissimus esse videtur, ac propterea etiam in praxi frequentissimè usurpatur. Sic in ditione *Tigurina* Nobiles Domini in Landenberg, & Meisij in Weziken, commune Jus Patronatús in opimâ parochiâ *Bâretschwil* habent, quod alternis vicibus exercent. Sic ipsam hanc Inclyt. Civitatem *Basileensem* nomine Monasterij Albani Jus Patronatús in pago *Sundgovia* *Grantsen* qui in diocesi Episcopi Basileensis situs est, cum *Jesuitis* cœnobii

cœnobij *Oelsberg* alternatim habere accipi. Imò contingere potest, ut Patronus extraneus cum ipso territorij domino Jus Patronatûs parochiæ alicujus commune habeat, & in ejus exercitio cum isto alternet. Sic eadem Civitas *Bisileensis* ejusdem monasterij nomine in exercitio Juris Patronatûs alterius *Sundgovix* pagi *Rems* cum *Episcopo* ipso parochum alternatim præsentat. Sic etiam Amplifl. Magistratus *Scaphusianus* cum Illustr. Civitate *Tigurina* Jus Patronatûs in pago *Dörfflingen* / in quo huic Jus Territoriale competit, alternis vicibus exercet.

VI. Præterea Jus Patronatûs in territorio alieno, vel *singulis Personis* competit, vel *integrâs Communitatibus*. Quod *singulis personis* competit, aut *Patrimoniale* est, aut *Non-patrimoniale*, (quod distinctionis causâ *Usufructuarium* vel *Fideicommissarium* appellari possit). *Illud* est, quod ad patronum *suo* adeoque *proprietas jure* pertinet; ac proinde ab eo alienari & in alium transferri potest, atque ad ejus heredes transit. *Hoc* autem est, quod alicui non proprio jure competit, sed *ratione officii* sive *muneris* quod gerit; cui scilicet Jus aliquod Patronatûs annexum est sive adhæret, ita ut qui illud administrat, hoc quoque solus exercere possit: cujusmodi munus vel ecclesiasticum est, vel politicum. Ut si Præsul, aut Superintendens, vel Præfectus sive Officialis, solus scilicet & inconsulto aut conventu vel consistorio, aut principe vel senatu urbico, Pastorem alicubi præsentandi facultatem habet: cujusmodi exempla passim reperiuntur. Sic *Tiguri* quilibet Antistes, idemq; Ecclesiæ Cathedralis sive *Carolinæ zum grossen Münster* Pastor, Jus Patronatûs in pagis *Wipfingen* & *Zunfien* solus habet. Tale jus patronatûs ab his qui id exercendi facultatem habent, alienari non potest; nec ad ipsorum hæredes transit, sed ad eos qui ipsis in officio illo succedunt. Cujus diversitatis hæc est ratio, quod prioribus illis ipsum jus patronatûs ejusque plena proprietas; his autem posterioribus, ejus exercitium duntaxat, jure quasi usufructuario competat, proprietate ad ipsum illud officium pertinente. At *Communitates*, quæ Jus Patronatûs in territorio alieno habent, sunt vel *Politica*; puta Regna, Respublicæ, Civitates: vel *Ecclesiastica*; ut *Episcopatus*, *Collegia Canonicorum*, *Conventus Monachorum*, quæ



vulgò Abbatia, Cœnobia vel Monasteria dicuntur. Hoc autem Jus Patronatûs exercetur *vel* à toto corpore istarum communitatum; uti fit in Collegiis Canonicorum, nec non in quibusdam Cœnobiis: *vel* ab eorum rectoribus, sive eorum unus tantum sit sive plures; videlicet à Principe, Senatu Civitatis (eoque aut toto, aut quibusdam ab eo delectis & quasi delegatis, ex, gr. Consistorio sive Senatu Ecclesiastico), Episcopo, Abbate, &c. Et si quidem id à pluribus exerceatur, usque in eligendo dissentiant; is præsentandus erit, in quem major suffragiorum pars (dummodò ea per leges ibi receptas sufficiens sit) conspiraverit. Tale verò Jus Patronatûs, quod Communitati competit, ab ejus rectoribus alienari non potest; nisi totius Communitatis, vel eorum qui eam repræsentare solent, consensus accedat. Cæterum hujus divisionis usus in eo quoque sese exferit, quod Jus Patronatûs singulis personis competens facilius amitti vel extingui possit, quam quod ad integras Communitates pertinet: quâ de re *infra c. ult.* plura dicendi locus erit.

VII. Alia insuper Juris Patronatûs in territorio alieno diviso, meo judicio, notari meretur, quod scilicet id vel *Nudum* sit, vel cum alio insigni jure *Conjunctum*: putâ aut *cum jurisdictione*, aut *cum jure decimarum*; ita ut Patronus simul etiam *dominus jurisdictionis*, *Gerichts-Herr* vel *decimator*, *Zehend-Herr* in illo districtu sit, in quo parochia patronata sita est; quorum posterius in *Helvetia* nostrâ regionibus sæpissimè contingit. Quâ re ipsi quidem Patrono plus dignitatis atque potestatis, Juri autem Patronatûs per se nihil accedit: unde isto casu probè distinguendum erit, quid ei quâ Patrono, quid quâ Domino jurisdictionis, vel quâ Decimatori competat aut incumbat; hæc enim quamvis in una persona conjuncta sint, in se tamen distincta manent, nec confundi debent.

VIII. Præterea Jus Patronatûs, à modo & ordine quo id exercetur, in *Regulare* & *Irregulare* dividi potest. *Illud* est, cum Patronus parochum à se electum episcopo vel domino territorij præsentare potest, ut ab isto confirmetur. *Hoc* verò est, ubi vice versa Patronus parochum ab episcopo vel domino territorij nominatum sibi que præsentatum confirmandi potestatem

testatem habet. Quæ divisio ex ijs, quæ *cap. præced. § II, 12, & 13.* differui, satis intelligi poterit.

IX. Potest etiam Jus Patronatus in territorio alieno, ex religionis convenientia vel diversitate, quæ inter Patronum & Episcopum dominumve territorij, nec non ipsam Ecclesiam patronatam intercedit, non incommode ita dividi vel saltem distingui, ut aliud *Similare*, aliud *Dissimilare* dicatur: quæ vocabula docendi causâ ex philosophia huc à me trahi fas sit. *Illud* appello, cum & patronus & dominus territorij & ecclesia patronata ejusdem sunt religionis. *Hoc* autem voco, cum isti diversa sacra exercent. Cæterùm istam divisionem non de nihilo esse, inde patet, quòd diversitas illa religionis haud exigua in ipso Juris Patronatus exercitio alterationem afferat: ut ex ijs, quæ superiore capite passim dicta sunt, satis liquet.

X. Denique ex ipsâ praxi exemplorumque consideratione, observare mihi visus sum, Jus Patronatus aliud *Proprium*, aliud *Improprium* esse. *Illud* est, quod quis tanquam jus quasi-tum, adeoque propriè & ex causâ perpetuâ sibi competens, habet. *Hoc* verò, quod ex liberâ aliorum concessione honoris ergò factâ exercetur; unde non incongruè *honorarium* appellari potest. Istud tum maximè fit, cum ecclesia aliqua, quæ jus pastores vocandi & constituendi ipsamet habet, id alij potentiore exercendum honoris causâ desert; sive ut ejus benevolentiam atque protectionem sibi conciliet, sive ut præterea ejusdem quoque liberalitatem atque beneficentiam erga se excitet. Hujuscemodi Jus Patronatus Ampliif. Magistratus *Turgurinus* in quibusdam Ecclesiis Evangelicis Turgovia habet; speciatim in oppido *Frauensfeld* / & in pagis *Berlingen* & *Reßmühl*; nec non apud *Rheguscos*, *im Rheynthal* / in oppido *Mtsferren* / & in pagis *Balgach* & *St. Margareta*: in quæ loca, quoties parochia vacans est, ad petitionem ipsarum ecclesiarum, aut *Witt derselbigen Gemeinden* / novus Pastor à prædicto Magistratu eligitur atque præsentatur. Huc etiam pertinere videtur, quod Ecclesiæ Reformatae in pagis *Grünebach* / *Herbis-hofen* / und *Thainselberg* (quæ postrema ecclesia tantum filialis est) in *Algovia* sive *Allemannia Superiore*, *im Allgäu* / sitis (qui quoad jus territoriale quondam ad Comites *Pappenheimenses*

lineæ

lineæ Evangelicæ, nunc autem ad Abbatem & Principem Cam-
 pidenfem pertinent) ab eodem Ampl. Magistratu Tigurino
 duos Pastores accipere solent: id quod pagis istis procul dubio
 vi artic. 7. § 1. *Instrum. Pac. Osnabrug.* licet. His tamen Pa-
 storibus stipendia non à solis Tigurinis, sed à quatuor Inclytis
 Helvetiæ Reformata Civitatibus, urbeque Sangallensi ex Chri-
 stiana charitate communiter conferuntur. Similiter ex conces-
 sione Serenissimi Principis & Marchionis *Brandenburg-Baru-
 tani* Ecclesia Reformata in nova ipsius urbe *Christian Erlang*
 Pastorem Tigurinum habet, qui salarium suum itidem ex li-
 beralitate modò dictarum quinque inclytarum Helvetiæ Evan-
 gelicæ Civitatum accipit.

CAP. V.

De Constitutione & Electione Ministro-
 rum Ecclesiæ inde à prima eorum ori-
 gine: ubi potissimum ostenditur,
 eam Summis Imperantibus
 jure competere.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Transitio.</i></p> <p>2. <i>In constitutione Ministro-
 rum Ecclesiæ quatuor distin-
 guenda sunt: Mandatum,
 Ordinatio, Electio, & Confir-
 matio.</i></p> <p>3. <i>Electio primitus ab ipso Chri-
 sto facta est: post eum ab Apo-
 stolis solis, non rogatis prius
 ecclesiarum suffragiis; ubi de
 voce χεῖρονόμῳ quædam. Cur
 in electione Diaconorum secus
 obtinuerit.</i></p> <p>4. <i>Vindicatur explicatio loci
 At. 6: 3, 5. contra Gl. Bob-
 merum,</i></p> | <p>5. <i>Post apostolos electio pene
 ipsas ecclesias fuit. Hoc tamen
 jus ijs non immutabiliter &
 perpetuo competere probatur.</i></p> <p>6. <i>Post Constantinum M. tota
 Religionis cura ad Imp. Chri-
 stianos spectavit. Ea tamen
 nullum imperium in conscien-
 tias illis tribuit.</i></p> <p>7. <i>Jus eligendi ministros eccle-
 siæ Summis Imperantibus com-
 petere probatur.</i></p> <p>8. <i>Plebi tamen sive ecclesiæ in-
 vitæ pastor non obtrudendus,
 sed jus dominationis ei relin-
 quendum est.</i></p> |
|--|--|



9. *Jus illud Principes exercuerunt usque ad Gregorij VII. papæ tempora. Quenam fata id deinceps in Germania habuerit.*
10. *Summi Imperantes hoc jus diversimodè exercent. Quomodo episcopi tempore Justiniani electi fuerint.*
11. *Dnæ exceptiones. Prior est, si jus eligendi pastores ipsis Cætibus competit. Exemplum*
- ejus est Tiguri in Ecclesia ad D. Petri; nec non in aliis Helvetiæ parochiis. Alteram exceptionem ipsum Jus Patronatus facit.*
12. *Quomodo electio ministrorum ecclesiæ Tiguri fiat.*
13. *Quomodo Basileæ.*
14. *Quomodo Scaphusij.*
15. *Quomodo Glaronæ, Abbatiscellæ, Genevæ, aliisque Helvetiæ locis.*

I.

Nihil jam amplius ad naturam Juris Patronatus in territorio alieno plenè intelligendam superesse puto, nisi ut tum in ejus *Originem* inquiram, tum id ab *Injustitia*, quâ laborare nonnullis videtur, liberem. Quæ ut eo accuratius atque distinctius cognoscantur, rem paulo altius accersere, & quædam generatim de *Ministrorum ecclesiæ constitutione atque electione* præmittere juvabit.

II. In Constitutione Pastorum sive Ministrorum Ecclesiæ, quatuor probè distinguenda sunt, ut Grot. *de Imp. Sum. Pot. circa Sacr. c. 10. § 2.* rectè docet: nimirum, Mandatum, Ordinatio, Electio, & Confirmatio. *Mandatum* est facultas Verbum prædicandi, Sacramenta dispensandi, & Claves administrandi. *Ordinatio* est applicatio sive collatio hujus facultatis in certam personam. *Electio* est applicatio hujus personæ ad certum cœtum & locum. *Confirmatio* denique est, quâ personæ electæ in exercitio ministerij in cœtu ipsi assignato publica auctoritas & publicum velut præsidium accommodatur. Mandatum à solo Christo omnes pastores accipiunt, quorum quasi *Literæ instructionis* extant *Matth. 28: 19. fiduciariæ* verò sive *credentiales* (ut vocant) *Matth. 10: 40. Luc. 10: 16. Joh. 13: 20.* Ordinatio à solis *ecclesiæ ministris* peragitur. Confirmatio soli *principi vel magistratui*, penes quem jus sacrorum est, competit.

tit. Electio autem à quonam fieri debeat, ideò accuratius investigare conabor, tum quod hâc de re non eandem omnium sententiam esse deprehendo; tum quod ea quasi fons est, ex quo Jus Patronatûs derivatum fuit.

III. Ut igitur à prima ecclesiæ nativitate ordiar, duodecim illos Apostolos ipse *Christus ἐξελέξατο* sive elegit, *Job. 6: 70. Act. 1: 2.* & in totum, quâ patet, orbem cum mandato gentes docendi & baptizandi ablegavit, *Matth. 28: 18, 19.* Alios quoque septuaginta Discipulos *Dominus ipse ἀπέδειξεν*, id est, designavit, *Luc. 10: 1.* Sublato in cælum Christo, ipsi *Apostoli* ijs, quos ad religionem Christianam converterant, cœtibus Pastores præferunt. Quod ut summo cum consensu ecclesiarum factum esse lubens fateor: ita vix probare possum eorum sententiam, qui *popularem* singulorum fidelium *suffragationem* intervenisse autumant. Equidem in prima electione, quâ *Matthias* in collegium Apostolorum cooptatus est, totius multitudinis suffragia inita fuisse, ex *Act. 1: 15. & seqq.* haud firmiter colligitur. In illa porrò electione, quæ *Act. 14: 23.* commemoratur, istam fidelium suffragationem adhibitam fuisse, vox græca *χειροτονήσαντες*, in qua omne præsidium ponunt, mihi nondum persuadet. Haud equidem ignoro, *Athenis* olim in comitiis seu concionibus populi, quæ *ἐκκλησίαι* dicebantur, moris fuisse, ut si aut leges jubendæ, aut magistratus creandi, aut decreta de republica sancienda essent, singuli cives suffragia porrectione manuum ferrent; unde hic mos *χειροτονία* vocata fuit, v. *Sigon. de Republ. Athen. l. 2, p. m. 569.* Eandem autem suffragandi rationem à *Luca d. l.* voce *χειροτονεῖν* significari, ut credam, à me impetrare non possum: sed existimo, vocem istam ut apud alios autores, sic etiam in Novo Testamento pro *quovis electionis modo* usurpari. Loca ex autoribus profanis adducit *Grot. de Imp. sum. pot. circa Sacr. c. 10. § 6.* & *Henr. Steph. in Thes. Ling. Græc. voc. χειροτονέω.* Quam significationem *Lucam* quoque hic secutum esse, satis manifestum mihi videtur ex *Act. 10: 41.* ubi testes vocat *προεχειροτονημένους ὑπὸ τοῦ Θεοῦ*, ist est, ante electos à Deo; ubi sanè nec manuum extensio, nec popularia suffragia locum inveniunt. Quid, quod *Apostolus* *Tito* suo mandavit, ut ipse presbyteros per urbes *Cretæ* constitue-

stitueret. *Tit. 1: 5.* nullâ electionis popularis factâ mentione. Et sanè primis cœtibus sive ecclesiis omninò expediebat, ut ipsi Apostoli, qui eas collegerant, pastores illis præficerent. Nam novi illi fideles tum adhuc quasi tirones Christianissimi erant, neque noverant, quid potissimum in bono Pastore, illo cumprimis tempore difficillimo, quo innumeræ ipsis tentationes undique objiciebantur, spectandum, vel quisnam tanto muneri par esset. Apostoli contrâ Dei Spiritu acti, optimè perspectum habebant, quinam ad novos istos fidelium greges pascendos, in fide confirmandos, & ab insulibus perlecutorum defendendos maximè idonei, eumque in finem necessarii à Deo dotibus instructi essent. Equidem ultrò largior, in Ecclesiâ primitivâ elemosynarum & pecuniarum à fidelibus collatarum administratores ac dispensatores (quos communiter *Diaconos*, certo sensu, appellant) ab universâ fidelium multitudine electos fuisse; hoc enim est *Act. 6: 3, 5.* & *2. Cor. 8: 19.* clarè apparet: sed ex eo non rectè infertur, eandem eligendi rationem etiam in pastorum sive presbyterorum constitutione observatam fuisse. Nam in electione Diaconorum sive Administratorum illorum singularis ratio erat, quæ universæ plebis suffragationem requirebat. Quia enim penes illos pecuniarum bonorumque communium administratio erat, Apostoli ideò jusserant τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν ἐπιπέσειν, h. e. multitudinem discipulorum dispicere idoneos homines, quibus hoc munus committerent, tum ut ipsimet τῆ διακονίᾳ τὰ λόγια, id est, prædicationi verbi eo meliùs vacare possent; *Act. 6: 4.* quæ ibid. *ψ. 2.* τῆ διακονίᾳ τῶν τραπέζων, id est, subministratiōni victûs necessarii, viduis & egenis faciendæ (quæ paulo ante *ψ. 1.* ἡ διακονία ἡ καθημερινῆ vocatur) disertè opponi videtur: tum etiam, ut ipsi essent eo magis ἀνώπιοι, id est, ne vel minimam è pecuniæ tractatione suspicionem aut offensam apud fideles, qui illam suppeditabant, incurrerent; ut ipse Paulus innuit *2. Cor. 8: 20, 21.* conf. Grot. *de Imp. circa Sacr. d. c. 10. § 4.* & *tr. de Pietat. Ord. Holland. p. 120. edit. Amst.*

IV. Cæterum quod speciatim ad locum illum *Act. 6: 3, 5.* qui validissimus eorum qui diversum sentiunt Achilles habetur, attinet: Doctriil. Vitringa *de Synag. Vet. l. 3. p. 2. c. 5.*



censer, Septemviros illos quorum electio ibi narratur, neque
 Diaconos (quales scilicet Paulus 1. *Tim.* 3: 8. & *seqq.* ab Epi-
 scopis distinctos describit), neque Presbyteros; sed *extra or-
 dinem* in Ecclesiâ Hierosolymitanâ constitutos fuisse, ad pro-
 videndum sustentationi *viduarum & pauperum*; eorumque
 munus duntaxat ad tempus durasse, & postea cessasse. Equi-
 dem non me fugit, Clar. Böhmerum in *Dissert. 6. de Jur. Eccl.
 Antiq.* § 22. & *seqq.* totum in eo esse, ut rejectâ hac Vitringæ
 sententiâ, plurimis argumentis evincat, Septemviros illos non
 quidem Diaconos (quod ipse quoque agnoscit), sed revera
 Presbyteros, & quidem *primos* in Ecclesiâ Hierosolymitanâ
 constitutos fuisse. Verùm (quod pace tanti Viri dictum esse
 volo) ejus argumenta assensum à me nondum impetrant. Sin-
 gula excutere, nec vacat, nec instituti mei ratio aut exigit, aut
 permittit. Paucis tamen meam hac de re sententiam, unâ cum
 præcipuis rationibus, non decidendi sed discendi animo, pro-
 ponam: quæ quidem eadem cum illâ Vitringæ est, nisi quod
 paulò ulterius progreditur. Existimo igitur, Septemviros illos
 ante primam Ecclesiæ Hierosolymitanæ dissipationem, de quâ
Act. 8: 1, 4. verbum Dei non prædicasse; cum isthoc munus
 Apostoli sibi disertè reservaverint, *Act.* 6: 4. nam quod de *Ste-
 phano* ex *Act.* 6, & 7. objici posset, facile diluitur. Post istam
 verò dissipationem, munus illud dispensatorium, ad quod ante
 electi fuerant, cessavisse credo; eosque tunc à Deo imme-
 diatè, & extraordinario Spiritus Sancti impulsu, ad verbum præ-
 dicandum vocatos esse, ut ex *Philippi* exemplo *Act.* 8: 5, 26,
 haud obscurè colligi posse videtur: atque adeò deinceps Præ-
 cones Evangelii, non tamen ordinarios (qui Presbyteri vel
 etiam Diaconi appellabantur) sed extraordinarios fuisse. Quod
 ex eo magis fit probabile, quod idem Philippus *Act.* 21: 8.
ἰσχυριστῆς vocatur: quales Evangelistæ (quos Paulus quoque
Eph. 4: 11, nominat) à Theologis inter Ministros *Extraordi-
 narios* Novi Testamenti censerî solent. v. Burman. *Synops.
 Theol.* l. 8. c. 6. § 36, & Heidegg. *Corp. Theol.* loc. 20. § 100.
 Quodsi aut Diaconi aut Presbyteri fuerunt, cur S. Scriptura eos
 nusquam ita appellat, sed potius ista nomina datâ quasi operâ
 evitare videtur? Putat quidem Böhmerus *ibid.* § 24. per τὸς
 πρεσβυτῶν

ἑπταβουτας, quorum *Act. 11: 30.* mentio fit; illos ipsos Septemviros intelligi; sed non probat. Imò magis probabile est, non eos intelligi; cum *ij Act. 21: 8.* non ἑπταβουτας, sed simpliciter ἐν ἑκκλησίᾳ vocentur. Denique eos Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteros creatos non fuisse, vel ex hoc solo evidentissimè liquere mihi videtur, quòd idem Philippus, ἐν οὐρανῶν ἑκκλησίᾳ, cum familia sua *Cæsareæ* sedem fixam habuit; *Act. 21: 8, 9.* atque adeò, postquam persecutio illa cessasset, Hierosolymam non redijt: quod utique facere debuerat, si quidem hujus Ecclesiæ Presbyter fuisset ordinatus; cum, fatente ipso quoque Bohmero *ibid. § 19.* certis ecclesiis addicti adstrictique fuerint. Non igitur πρεσβυτερον videri debet, quod *Grot. de Imp. circa Sacr. d. c. 10. § 4.* ait, *Pastores à plebe fuisse electos, ex tota Novi Testamenti historia non apparere.* Ex his enim, quæ dixi, satis liquere puto, Apostolos ipsos, non rogatis prius ecclesiarum suffragijs, Pastores constituisse. Quod tamen non ita intelligi velim, ac si eos pro imperio ecclesiis obrulissent; cum haud fas sit dubitare, quin ecclesiæ Pastores ab illis electos summo cum consensu atque applausu exceperint.

V. Post ætatem Apostolorum, jus eligendi Pastores penes ipsas ecclesias fuisse fateor. Ecclesiæ enim primitivè sub imperio principum ethnicorum, indolem habebant *Collegiorum*, sive ejusmodi societatum, quæ plures homines certi cujusdam negotij gratià inter se connectuntur, salvo summorum imperantium in eosdem jure; ut pluribus ostendit *Pufendorf. de Hab. Relig. Christian. ad vit. civ. § 39.* Jam verò ea est natura collegiorum omnium, quæ liberà hominum confociatione constant, ut jus habeant, omnia negotia, quæ ad sui conservationem ac gubernationem necessaria sunt, communi omnium consensu expediendi: quo in numero imprimis functionum applicatio est. Adeò ut, si primitivæ ecclesiæ istud jus ipsæ per suffragia popularia exercuerunt, ut quidem in *Cypriani* epistolis, aliisque *Patrum & Scriptorum ecclesiasticorum* monumentis legitur, optimo jure eas id fecisse manifestum sit. Hoc tamen eligendi jus non ita immutabiliter & perpetuò ad universam plebem pertinet, quin hæc si ita consultum judicet, illud in alium transferre possit. Jure enim naturali cuilibet

coetui liberum est, voluntatem & iudicium suum circa ea, quæ ad commune regimen spectant, alij submittere. Neque ex jure divino ulla ratio in contrarium afferri potest: cum enim id modum eligendi pastores non determinaverit, eum ecclesiæ arbitrio reliquisse intelligitur. Multo minus ex eo, quod ecclesiæ per tria fermè secula pastores ipsæ sibi elegerunt, inferri potest, hoc jus perpetuò penes ipsas esse debere; si consideretur, electionem hanc illo temporum statu aliter fieri non potuisse. Cum enim primi Imperatorum Romanorum aut inimici essent Ecclesiæ, aut certè religionem Christianam haberent contemptui, longèque infra suas curas ponerent: ipsi Christiani in medium consulere, & quæ ad societatem suam in facris stabiliendam atque regendam faciebant, peragere necesse habuerunt. v. Pufend. *de Monarch. Pontif. Rom.* § 10.

VI. Postquam verò *Constantinus M.* & qui eum secuti sunt Imperatores, Christo nomen dederunt, ad ipsos quoque Cura Religionis Christianæ devoluta fuit. Si enim principia veræ politicae, quæ jure naturæ ceu fundamento nititur, sequi velimus: ordinatio cultûs divini & exterius ecclesiæ regimen penes eosdem esse debet, qui summam in Republica potestatem habent. Nam nec religionis cujuscunque indoles, nec natura religionis Christianæ, nec denique jus divinum, duo ista divellere jubet; ut pluribus docet Pufend. *de Mon. Pont. Rom.* § 5. & *seqq.* Quod tamen non ita intelligendum est, ac si quicquam potestatis in ipsam religionem atque fidem, ejusque dogmata principibus tribuatur. Cum enim fides atque religio non nisi ex internâ animi *πληροφορία* sive persuasione, atque ex conscientia cujusque proficiatur; hæc autem per naturam suam omni vi externâ potentior sit, & à solo Deo flecti atque inclinari possit: princeps sanè nihil hic juris sibi arrogare potest, sed imperium in conscientias, tanquam *reservatum divina majestatis*, DEO O. M. relinquere, nec ullâ violentiâ in eas grassari debet. Id quod ipsum quoque Jus Canonicum agnoscit, cum ait: *Nova atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. c. 1. dist. 45.* cui geminum est *c. 3. dist. ejusd.* Quæ de re imprimis legi meretur Rev. atque Doctiss. D. Sam. Werenfelsij *Dissert. epistol. de Jur. Magistrat. in Conscient.* quæ in
 e jus

ejus *Syllog. Diss. Theol.* 2^{da} pag. 71. & seqq. est: nec non Viri Cl. Gerard. Noodt. *Orat. de Libert. Conscient.* recitata anno 1706. d. 6. Febr. cum Rectoris munus in Acad. Leidens. deponeret.

VII. Cum autem regiminis ecclesiastici pars haud potestrema in demandando certis hominibus divini cultus ministerio posita sit: facile intelligitur, etiam *jus eligendi Pastores penes Summos Imperantes* esse. Cur enim ecclesiae earumve rectores, magis ministros rei sacrae praeficiendi jus haberent, quam illis licitum est, magistratus & alia reipublicae administrandae munia certis hominibus committere? Porro, si principi vi supremam potestatis, cum de aliis rebus ad externum ecclesiae habitum spectantibus, tum vero de personis quoque ecclesiasticis leges ferre licet (id quod nemo abnuet, nisi qui sacram illam Pontificis Romani dictaturam agnoscit): eccur non etiam jus haberet, eos suae ditionis ecclesijs praeficiendi, quos ipse potissimum idoneos judicat? Neque enim intelligi potest, quare in generali jurium majestatis, etiam circa Sacra, collatione à populo in principem facta, electio ministrorum ecclesiae excepta videri debeat. Imò eam non exceptam esse, vel ex hoc liquet, quod cum princeps inprimis curare debeat, ut respublica omni ex parte tranquilla atque beata degat (quem imperantium scopum ipse Apostolus *1. Tim. 2: 2.* laudat): illud omnino ejus potestati relinquendum videtur, ut ex suo potius quam ex plebis arbitrio ministros ecclesijs praeficiat; cum, aliter si fieret, episcopos turbulentos, qui que pacem reipublicae importunis concionibus interpellare possent, nonnunquam admittente cogeretur: ut Exc. atque Doct. D. *Joh. Jacob. Batrier.* Juris in alma hac Acad. Prof. meritiss. Praeceptor atque Patronus meus atatem mihi colendus, in *Dissert. Inaug. de Jur. Suffragior.* c. 5. loquitur. Id quod tristi admodum experimento Germanorum Imperatores jam inde ab eo tempore didicerunt, ex quo Episcoporum constitutionem sibi eripi passi sunt. Qua de re plura legi possunt apud Conring. *de Conslit. Episc. Germ.* § 46. Grot. *de Imp. circa Sacr.* c. 10. § 15. & *de Piet. Ord. Holl.* p. 117. & seq. edit. Amst. Ziegler. *de Jur. Maj. l. 1. c. 18.* § 2.

VII. Ne autem dum electionem pastorum principibus vindico, Cœtibus libertatem omnem adimere videar: *plebi jus*

Ἰουματίας sive *approbationis* relinquendum esse agnosco; ita quidem, ut imperantibus non liceat, ecclesiam invitam pastorem obtrudere, sed ea omnino audienda sit, si justas recusandi causas habeat: id quod etiam jure canonico sollicitè cautum est, *c. 26. & c. 36. distinct. 63.* ut *supra c. 3. § 3.* pluribus jam dictum fuit. Huc spectabat mos ille veterum Christianorum, qui, teste Lamprid. in *Alex. Sever. c. 45.* sacerdotes qui ordinandi essent, *prædicare*, hoc est, publicè proclamare solebant; ut videlicet cuilibet ex cœtu, qui aliquid sciret, quod ei posset objici, id indicandi facultas esset. add. Casaub. *not. ad Lamprid. d. l.* Quod ipsum in Concilio Chalcedonenfi *can. 6.* his verbis fuit sancitum: Ὁ χειροτονούμενος ἐπιμνησθήσεται. id est, *Qui eligitur sive ordinatur, publicè proclametur.* Mos ille antiquus olim etiam in Ecclesia Genevensi observabatur: ibi enim Pastor electus die dominica ante ejus inaugurationem in omnibus templis publicè solebat proclamari, additâ admonitione, ut si quis aliquid sciret, quod in ejus doctrinâ & vitâ desiderari queat, id ante proximam diem dominicam, quâ scilicet inaugurandus foret, uni ex Consulibus (quos ibi *Syndicos* appellant) indicet. Ordoñ. *Eccles. de l'Eglis. de Genev. articl. 10.* eodem planè modo, quo *Sponsalia* inter duas personas contracta plerisque in locis aliquot diebus ante consecrationem sive benedictionem quam sacerdotalem vocant, in templo proclamari solent. Brunnem. *de Jur. Eccl. 2, 16, 6.* ibique Stryk. in *not.* Hopp. *comment. ad pr. J. de Nupt. n. 3, p. m. 80.* Sic in *Patriâ meâ*, cum novus Pastor ecclesiam cui præficiendus est, sistitur, ut inauguretur, id auditoribus hæc verborum formulâ significari solet: *So wolsen wir aus Befehl unsrer Oberkeit ihn Euch hiemit sùrgestellt und angezeigt haben; damit wer an seiner Lehr oder Leben etwas strâffliches wuſste / dasselbige anzeigen und offenbahren möge.* Quod idem Tiguri quoque fieri, testatur Lud. Lavater. *de Ritib. Eccles. Tigur. tit. 2.* alibi quoque etiam observari nullus dubito. Rationem hujus rei reddit Pufend. *de Hab. Rel. Chr. § 45.* quia scilicet *band multum edificabit doctor, invitis auditoribus ingessus, & cæjus apud istos nulla animatio, nullus amor est.*

IX. Atque ita Electio Pastorum Ecclesiam regulariter ad Summum Imperantem pertinet; si quidem is Christianam Religionem

gioni additus sit. Jure igitur Imperatores, Reges, & Principes Christiani inde à tempore Constantini M. jus constituendi Episcopos sibi vindicarunt, & vel ipsi vel per alios exercuerunt; ut pluribus persequitur & exemplis confirmat Conring. *de Constit. Episc. Germ.* Grot. *de Imp. circa Sacr. c. 10. & de Pier. Ord. Holl. p. 118. & seqq.* Brunnem. *de Jur. Eccl. l. 1. c. 2. & c. 5.* Idque penes eos mansit usque ad tempora *Hildebrandi* seu *Gregorij VII.* Papatum impudentissimi, & ad proculcanda Imperatorum jura nati; qui primus in hoc jus violenter involavit, & ut illud *Henrico IV.* Imperatori extorqueret, excommunicationis fulmen in eum vibravit: cujus Decretum videri potest in *Baron. Annal. Tom. XI. añ. 1078. & 1080.* Tandem post varias super eà re turbas atque concertationes *Henricus V.* fessus & impar tot difficillimis expeditionibus, anno 1122. d. 19. Kal. Oct. in Comitijs *Wormatiensibus jure investiendi Episcopos per Annulum & Baculum* decessit, ac illud Sedi Romanae, quam tunc *Calixtus II.* tenebat, resignavit. v. *Conring. de Const. Episc. Germ. § 55. & seqq.* *Coccej. Jus Publ. c. 18. § 20, 22.* Sed cum nihilominus aliæ atque aliæ controversiæ eà de re inter Imperatores & Pontifices orirentur, facta est año 1447. inter *Fridericum III. & Nicolaum V.* solennis de Jure Sacrorum conventio, quæ *Concordata Nationis Germanicæ* vocantur: quorum exemplar authenticum haud ita pridem in lucem protulit vir stupendæ doctrinæ *Georg. Guil. Leibniz. in Cod. Jur. Gent. p. 1. n. 158.* quod paulo diversum est ab eo, quod antea in usu erat. v. *Celeberr. Joh. Petr. Ludov. tr. de Jur. Adleg. Ord. S. R. J. c. 1. § 18.* Hæc tamen *Concordata* non omnes Imperij Principes ac Status, nec per omnia, acceptarunt; sed corruptelis papalibus magis magisque invalescentibus, & ecclesiarum libertatem atque salutem tantum non pessumdantibus, universalem doctrinæ morumque *Reformationem* urserunt. Quæ tandem feliciter secuta, omne *Jus circa Sacra*, adeoque etiam *Jus vocandi & constituendi Ministros Ecclesiarum*, Principibus Evangelicis primo assertum ac vindicatum, postea etiam *Transacione Passaviensi* anno 1552. eamque secuta *Pace Religiosa* anno 1555. consensu eorum qui initio acriter repugnave-

H

rant,

rant, sancitum; ac denique in Sacratissima Pace Westphalica art. 5. anno 1648. plenissime atque solemnissime confirmatum est.

X. Caterum istud, quod Summa Potestati asserui, Jus Eligendi Ministros ecclesiarum vel ipse Princeps aut Reipublica Senatus exercet: vel alijs suo nomine exercendum delegat. Sic in Germania plerique Principes & Status Evangelici id per *Consistoria* sua, vel per *Senatum Ecclesiasticum* (germ. *Kirchen-Rath* / ut speciatim in *Palatinatu* fit) exercent. Saepè etiam Princeps vel Supremus Reipublica Senatus nominationem alijs concedit, electione sibi reservata. Unde modos Electionis speciales passim variare videmus: quamvis omnes in eo conveniant, quod Summi Imperantes ibi praecipuas partes habeant. Modus eligendi Episcopos, ab ipso *Justiniano* imperatore *Novell. 123. c. 1. & Nov. 137. c. 2.* sancitus, hic fuit. Conveniebant *ἐκ κληρικῶν καὶ ὁμῶς ἀπὸ τοῦ πᾶν πολέως*, i. e. Clerici & Primores civitatis, cui Episcopus praeficiendus erat; ac praestito prius juramento ambitus, eligebant sive nominabant tres personas idoneas, ex quibus deinde melior & dignior eligebatur *τῆ ἐπιλογῇ καὶ τῷ κρίματι τῶ χειροτονήσαντος*, h. e. electione & iudicio (non, ut *Latinus Interpres*, periculo) ordinantis. Sed sicut ex hoc textu non liquido apparet, quisnam per *τὸν χειροτονήσαντα* intelligendus sit: ita nec ego divinare possum, à quonam proprie definitiva haec electio facta fuerit; mirorque, locum istum Commentatoribus hucusque ferè intactum mansisse.

XI. Hoc autem assertum, quo jus eligendi ministros ecclesiarum Principi sive Domino territorij vindicatur, duas exceptiones habet. Prior est, si populus aut cætus aliquis jus istud, aut ab initio in delatione summi imperij sibi reservavit; aut postea ex iusta aliqua causâ, vel per praescriptionem immemoriam, acquisivit. Et tunc id vel per se exercet; vel per delegatos, puta per Seniores, aliaque eminentiora cætus illius membra. Insigne ejus rei exemplum est in Inclyta Civitate *Tigurina*, ubi *Ecclesia ad D. Petri*, die *Gemeind zu St. Peter* inde à tempore immemoriam, imò antiquissimo, & diu ante Reformationem, Pastorem & Diaconum sibi eligendi jus habet: quod ita exercetur, ut parochiani omnes ac singuli (quorum multi extra urbem pagos quosdam incolunt), qui masculini

lini sexus sunt, dummodo Sacrae Eucharistiae participes facti fuerint, suffragia viritum ferant. Quae de re fusè agit Joh. Mullerus Tigur. in *prefatione Tabulae Joëlis*, inde à pag. 109. ubi etiam in ejus causas inquiri: inter quas hæc maximè verisimilis mihi videtur, quòd ipsi Parochiani primitus & templum, & reditus ad sustentationem Ministrorum pertinentes, ex suis facultatibus fundaverint. Eodem etiam jure plures *aliae Ecclesiae* sive parochiae in *Helvetia*, non solum Evangelicæ sed Pontificiæ quoque, gaudent; imprimis in illis Rebus publicis quæ urbibus carent, ac vulgo dicè *Sänder* vocantur: ut idem Muller. *ibid.* indicat; & inter alia ex anonymo quodam autore pontificiò hæc verba allegat: *Parochi trium Cantonum, Ury, Surtz, & Underwalden, quantum semper audivi, & nunc habitâ inquisitione percipio, eliguntur à populo cujusque parochiae.* Sive hoc jus populus istis, libertate democraticâ plenissimè gaudentibus, unâ cum summo imperio antiquitùs adhæserit; sive speciali Sedis Pontificiæ privilegio atque indultu illis concessum fuerit, ut idem Mullerus autumat. Imò in inclyta hæc urbe *Basilea*, in quâ hæc conscribo, plerique Pastores urbici à suis Ecclesijs, non quidem ab omnibus & singulis parochianis, sed ab eminentioribus illarum membris eligi solent; ut mox pluribus exponetur. *Alteram* exceptionem hoc ipsum, de quo ago, Jus Patronatus facit; quod à jure sacrorum, quod summis imperantibus asserui, separatum est, & alicui in ecclesia aliqua, ad instar servitutis, competit. In cujus originem atque justitiam ut deinceps inquiram, ordinis quem mihi proposui ratio postulat: quod nunc eo brevius atque facilius fieri poterit; postquam hæc de Jure pastores eligendi, fundamenti loco præstruxi. Prius tamen varios *modos*, quibus Ministri ecclesiarum in *plerisque Helvetiæ Evangelicæ Civitatibus* eligi solent, quantum quidem exquirere mihi licuit, huic Capiti coronidis loco subnectam.

XII. TIGURI, vacante aliquâ parochiâ, prima Nominatio ad *Collegium Examinatorum*, quos vocant, pertinet; id est ad eos ex utroque ordine proceres, quibus cura Ecclesiarum, rerumque ad illas pertinentium, præcipuè incumbit. Sunt hi numero XVI, nempe ex ordine *Ecclesiastico*, duodecim pri-

marij Ecclesiarum Pastores Collegijque Carolini Professores, (inter quos decem sunt Canonici, Chor. Herren zum grossen Münster; in quorum tamen numero duo quoque Professores Physices comprehenduntur, qui non Theologi sed Medicinæ Doctores sunt); ex ordine autem *Politico*, quatuor; nimirum duo ex Senatu minore, & duo ex majore. Hi Examinatores, inter quos Antistes praesidis munere fungitur, octo qui ipsis idonei videntur, nominant; eorumque nomina obliquata Senatui minori, qui 50. senatoribus constat, transmittunt: qui ex illis primò tres, deinde ex his unum, per plura suffragia eligit. Sed Pastores Ecclesiarum primariarum in urbe, nempe zum grossen Münster (qui simul Antistes est), zum Frauen-Münster/ und zum Predigern/ nec non duo Archi-Diaconi, à Senatu majore ducentum-virorum, (quos illi *Nächt und Bürger* vocant) eliguntur. Diaconus verò zum Silberschild / nec non Pastores quorundam pagorum suburbanorum, à Collegio decem illorum Canonice, Chor. Herren Stifft zum Grossen Münster/ creantur; quibus tamen ex ordine Politico quatuor istius Collegij Curatores, Chor. Herren Pseger/ assident, quorum duo ex Senatu minore, duo ex majore sunt. Ecclesia verò *Petrina*, Pastorem & Diaconum ipsa sibi eligit; ut § *praced.* dixi. Denique quilibet Antistes duobus pagis suburbanis *Wipfingen & Zumbelst*/ quorum ecclesiarum *filiales* audiunt, Pastorem ex suo solius arbitrio praeficiendi jus habet. Quod autem ad Ecclesias Patronatas in Agro Tigurino (quarum non exiguus est numerus) attinet; illi Patroni, qui *cives Tigurini*, atque adeo ejusdem quoque religionis sunt, liberum jus habent, unum pro suo arbitrio, nullà pravià nominatione, Pastorem eligendi; dummodo is *Civis Tigurinus* sit. Civitas verò *Scaphusiana*, quæ in quatuor agri Tigurini parochijs, nempe zu *Andelfingen/ Illnau/ Tägerlen/ und Dörfflingen* (sed hic tantum pro parte dimidiâ, & alternatim) plenum & absolutum Jus Patronatus habet, unum ex suismet civibus Pastorem eo eligere, & Senatui Tigurino confirmandum praesentare potest ac solet. Illis autem Patronis, qui & quoad territorium & quoad religionem *extranei*, adeoque *Pontificij* sunt (ut Episcopus Constantiensis, Abbas Sangallensis, Rinoviensis, Einlidensis, San-Blasianus, Wettingen.

tingensis, alijque nonnulli) Senatus Tigurinus ex octo illis, quos Examinatores designarunt, tres nominat; ex quibus illi eum quem volunt eligendi atque presentandi jus habent. Pastor ita electus, si ecclesia rurali praeficiendus est, in ea quamprimum, illo quem *supra* c. 3. § 10. innui, ritu *inauguratur*: in Ecclesijs autem urbicis solennis ista inauguratio non adhibetur. Quae omnia partim ex Lavater. *de Ritib. Eccles. Tig. tit. 2.* & Joh. Baptistae Ottij *additionibus*, partim ex fida aliorum *relatione* ita accepi.

XIII. BASILEÆ, aliter urbicarum, aliter ruralium Ecclesiarum Ministri eliguntur: *illi* enim ab ipsis Coetibus sive Ecclesijs, *hi* à Magistratu sive Senatu creantur. Electio Pastoris ecclesiae alicujus *in Urbe*, non quidem ab omnibus parochianis fit, sed à *primarijs* illius *membris*, nimirum Pastoribus, Doctoribus, Professoribus, aliisque qui officium publicum gerunt, vel alia ratione praevulgo eminent; quos inter illi inprimis ex senatu tum minore tum majore viri sunt, qui disciplinam ecclesiasticam in ea parochia exercent, ac propterea *Bann-Herren* vocantur. His tamen omnibus accedunt quoque tot ex Summis Reipublicae Proceribus, quot *economos* Praefere sive administratores bonorum ecclesiasticorum illa ecclesia olim habuerat; nec non quatuor *Deputati*: quo nomine illi proceres ex ordine Politico appellantur, qui Ecclesiarum & Scholarum ipsiusque etiam Academiae curam gerunt; quorum tres ex Senatu minore delecti, quartus vero Archigrammateus est. Haec electiones, praeside Pastore primario sive *Antijite*, per suffragia occulta adhibitis pilulis sive globulis (qui à Venetis, apud quos inprimis hic suffragia ferendi modus in usu est, *ballotæ* vocantur) feri solent; & ita quidem, ut primo tres designentur sive nominentur, deinde ex his unus eligatur. At in electione amborum Ecclesiae ad *D. Petri Diaconorum* singulae quid obtinet: hic enim primo *Capitulum* solum, quod sex Professoribus trium Facultatum constat, una cum Antijite, quatuor Deputatis, & Pastore Petrino, praeside *Decano* Capituli, tres nominat; quorum unum postea idem *Capitulum*, sed assumptis adhuc quinque illius Ecclesiae senioribus, *Bann-Herren* eligit. Pastores autem pro ecclesijs *ruralibus* ita creantur,

ut primo à Deputatis, Professoribus Theologiæ, & quatuor Pastoribus primariis, zum Münster / zu St. Peter / zu St. Leonhardt / und zu St. Theodoren in der kleinern Statt / præside Antistite, tres nominentur, ex quibus postea unus à Senatu minore, qui XXX. senatoribus constat, per plura suffragia eligitur. *Inauguratio* solennis Ministrorum ruralium fieri quidem solet, sed sæpè demùm aliquo post tempore, quàm hi munus in ecclesiâ sibi commissâ jam obire cœperunt; in urbis verò Pastoribus ea in usu non est.

XIV. SCAPHUSII, quæ alma mihi Patria est, omnium omninò Ministrorum constitutio uno eodemque modo fit. Eorum *Nominatio* ad Scholarchas, *Electio* ad Senatum minorem pertinet. *Scholarchæ* apud nos dicuntur illi ex utroque ordine proceres, quibus Ecclesiarum Scholarumque, & rerum ad illas pertinentium, suprema cura demandata est. Eorum primitus post Reformationis tempora *sex* fuerunt: duo ex Senatu, qui *Magistratum* sive ordinem politicum, duo ex Pastoribus, qui *Ministerium* sive ordinem ecclesiasticum, & duo ex reliquis Civibus, qui *Populum* sive ordinem plebejum repræsenterent. Quibus postmodum in singulis ordinibus unus additus fuit, ita ut nunc *novem* sint: nempe, duo Consules & Proconsul, ratione muneris sive dignitatis quam gerunt; tres primarij Ecclesiarum urbarum Pastores, quos Triumviros Ecclesiasticos, die drey Obersten Pfarrer / appellare solemus; duo Senatores literati ex Senatu minore, vel talibus deficientibus ex Senatu majore, vel denique ex aliorum civium numero delecti; quibus etiam Archigramatæus, ratione muneris sui, assidet; Consul verò primarius, der Amts- Burgermeister / præsidet. Notabilia hanc in rem sunt verba *Reformationis* nostræ *Politica* de anno 1688. art. 41. Weil an wol- Bestellung Kirchen und Schulen unser aller zeitliche und ewige Wohlfahrt gelegen: als soll der Scholarchat neben beyden Herren Burgermeistern / Herren Statthaltern / und denen dreyen Herren Obersten Pfarrern / noch mit zweyen Gelehrten Subjectis aus dem Kleinen / oder in Ermanglung deren aus dem Grossen Raht / oder emer Ehr- liebenden Burger-schafft besetzt werden. Hi Scholarchæ pro parochiâ vacante, olim *unum* tantum, postea *tres*, nunc verò *quatuor*, qui ad eam idonei

idonei esse videntur, nominare solent: ex quibus *Senatus minor*, qui XXIV. senatoribus constat, per suffragia occulta unum eligit. Quodsi *parochia* illa sit *patronata*, electus iste *Patrono* confirmandus mittitur; uti *c. 3. § 15. edisserui. Inauguratio* sive *Introductio* Ministrorum in *agro* primā post peractam electionem vel confirmationem occasione, solenni illo manuum impositionis ritu fit; nec priusquam hæc facta sit, isti munus suum auspiciari solent. In *urbe* solus *Pastor Ecclesiæ* primariæ *ad D. Johannis* ita inauguratur; quoad cæteros autem ista cerimoniam adhiberi non solet.

XV. GLARONENSES & ABBATISCELLANÆ Ecclesiæ Evangelicæ, quantum quidem generatim duntaxat comperi, Pastores quæque suos ipsammet eligunt, parochianis viris suffragia ferentibus. Eodemque jure multæ aliæ ecclesiæ rurales tum in *Præfecturis communibus*, præsertim in *Turgovia* & *Rhegascia*, tum in *Rhetia*, gaudere dicuntur. GENEVÆ autem si *Pastor* aliquis, sive pro urbe sive pro agro constituendus est, *Conventus Ministrorum* atque *Professorum* (qui vulgo *la Venerable Compagnie* vocatur) unum, qui ipsis maxime idoneus videtur, nominat; eumque *Senatui minori* XXV. *Consiliariorum* indicat; à quo deinde confirmatur, & in eam cui destinatus est ecclesiam introducit. Olim quidem nominatus ille pastor à *Ministris* in præsentia quorundam à *Senatu delegatorum* examinari, & ante inaugurationem (ut § 8. prædixi) publice proclamari solebat. Ordoñ. *Eccles. de P. Eglis. de Genev. art. 9, 10, & 11.* sed hoc in desuetudinem abiisse audio. Quodsi *Ecclesia Germanica* ibi vacans sit, *Consistorium* hujus ecclesiæ unā cum uno ex *Syndicis* atque *Senatoribus*, duos nominat; quorum alterutrum deinde singuli *paterfamilias*, qui huic ecclesiæ aggregantur (sive ij cives sint, sive habitantes) per plura suffragia eligunt. Cæterum quod de electione *Ministrorum* in *Amplis. Civitate Bernensi* ejusque territorio; nec non de *Inclyta Urbe Sangallensi*, aliisque etiam *Helvetiæ Evangelicæ* adjunctis *Civitatibus* atque *Ecclesiis*, nihil dixi; in causā est, quòd modis ibi usitatos accuratè explorandi occasio mihi defuerit: quos proinde aliorum diligentia investigandos exponendosque relinquo.

Quan-

Quonquam autem ex his, quæ adduxi, satis apparet, modos eligendi Ministros non parum variare: nullus tamen eorum est, qui juri divino contrarius, adeoque improbandus sit; cum in omnibus *ἐπιταξίαις*, id est, *reclus ordo* observetur. Neque aut *Verbum Dei*, aut ex eo hausta *Confessio* nostra *Helvetica* cap. 18. p. m. 97. circa modum electionis aliud præscribit, quam ut *Ministri idonei eligantur religiose ab Ecclesiâ, vel ad hoc ab Ecclesiâ deputatis* (aut quibus Ecclesia potestatem concessit), *ordine iusto, & absque turba, seditione, & conventione.* Quæ si observentur, cætera specialiora cujusque Principis, Reipublicæ, Magistratûs arbitrio, legibus, vel moribus tutò relinqui poterunt.

CAP. VI.

Origo & Progressus Juris Patronatûs.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Notitia originis alicujus rei valde utilis est.</p> <p>2. Jus Patronatûs jam seculo quarto ortum est. Canon Concilij Toletani I. Ex qua ratione id introductum sit.</p> <p>3. Id etiam in Territorio Alieno valuit. Canon Concilij Arausicani.</p> <p>4. Imperator quoque Justinianus id ratum habuit, in Novell. 57. 67. & 123.</p> | <p>5. Variæ constitutiones de eo post Justinianum.</p> <p>6. Id subsequenti Reformatione ubique retentum; ac in Synodo Dordracena, & Pace Westphalica, confirmatum est. Exempla J. P. quæ in Helvetia & Saxoniam post Reformationem constituta sunt.</p> <p>7. Notantur illi, qui ejus originem Justiniano vel Papatûs adscribunt.</p> |
|--|--|

L

MUltum lucis ad veram rei alicujus naturam intelligendam afferre, si cognoscatur, quamnam ea originem, quænam incrementa habuerit, nemo est, qui abnuat. Itaque ego quoque Juris Patronatûs *ortum atque progressum*, quantum quidem ingenij mei tenuitas fert, hunc investigare conabor, II. Origo

II. *Origo Juris Patronatus respectu temporis, quo coepit, non adeo certa & liquida est. Prima ejus vestigia in Concilio Toletano I. reperiuntur, cujus can. 10. disponit: Clericos non ordinandos esse, nisi probata vita fuerint, & PATRONI consensus accesserit.* Caranz. in *Summ. Concil. p. m. 86. b.* Ex quo apparet; Jus Patronatus antea ortum esse, ac jam in usu fuisse. Cum autem istud concilium A. C. 400. VII. Id. Sept. habitum sit, quo tempore *Arcadius & Honorius* Imperij Romani gubernacula tenebant: prima ejus origo in illud tempus rejicienda esse videtur, quo Religio Christiana caput extollere coepit, ac publicum ejus exercitium Imperatorum auspicijs constabilitum fuit. Scilicet postquam publica fidei Christianae professio in tuto collocata erat, plurima passim *Templa* extrui coeperunt, in quibus Christiani statis temporibus convenirent, Deoque suo preces, laudes, ac grates offerrent, & verbo ejus audiendo participandisque sacramentis animas suas pascerent. Quae cum magnos requirerent sumtus; Imperatores vel, quibus potissimum sacrorum curam permiserant, Episcopi, consentientibus procul dubio atque latentibus Christianis, constituerunt, ut qui templum aliquod suis sumtibus excitaret, & praedia pecuniasve ad sustentandos Pastores aliosque pios usus suppeditaret, is ejusque successores pro ista liberalitate, remunerationis quasi loco, jure nominandi sive eligendi pastorem in illa ecclesia gauderet.

III. Quod institutum non solum intra cujusque civitatis fines valuit; sed in alieno quoque territorio vim suam exseruit. Ita enim *Concilium Arauscanum*, quod A. C. 441. VI. Id. Nov. imperante *Valentiniano III.* celebratum est, can. 9. decrevit: *Si quis Episcoporum IN ALIENAE CIVITATIS TERRITORIO ecclesiam edificare disponit, non praesumat dedicationem facere, quae illius est, in cujus territorio ecclesia assurgit. Aedificatori vero Episcopo haec gratia reservetur, ut quos desiderat Clericos in re sua ordinari, ipsos ordinet is, cujus territorium est; vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat: & omnis ecclesiae ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit. c. 1. caus. 16. q. 5. quae statim q. 2^{da}. subjicitur. In quo canone difertis verbis Patrono, qui in alieno territorio*

ecclesiam ædificavit, jus eligendi & præsentandi ministros ejus ecclesiæ datur, salvâ ei cujus territorium est, templi dedicatione & ministrorum ordinatione. Ne quis autem putet, jus istud *Episcopis* tantum sive *Clericis* concessum fuisse: monendum est, canonem illum in Jure Canonico non integrum adduci. Ea enim, quæ in Collect. Reg. Concil. tom. VII. pag. 275. sequuntur, idem *secularibus quibuscunque*, hoc est, etiam *Laicis* tribuunt.

IV. Hoc deinde Jus Patronatus imperator quoque *Justinianus* ratum esse jussit in *Novell. 57. cap. 2.* quam anno 538. promulgavit, cujus *summa* est: Quod ecclesiarum ædificatori- bus aut alimentorum erogatoribus Clericos constituere liceat; si tamen in episcopali examine digni reperiantur. Huic aliam limitationem addit in *Novell. 67. c. 2.* anno 539. promulgatâ, ubi præcipit: Eum qui ecclesiam ædificare vult, prius ea de re cum Episcopo loqui, atque definire debere, quæ ad ejus constitutionem, curam, & conservationem pertinent. Id postea denuò confirmavit in *Novell. 123. cap. 18.* anno 541. editâ, ubi constituit: *Ἐι τις ἐκκλησίον ὄικον κατασκευάσῃ, καὶ βελήθει ἐν αὐτῇ κληρικὸς πρεσβύτερος ἢ αὐτὸς ἢ οἱ τότε κληρονόμοι ἐι τὰς διαπάνας αὐταὶ τὰς κληρικῆς χορηγήσουσι, καὶ ἀξίως ὀνομάσουσι, τὸς ὀνομασθέντας χειροτονήσουσι.* hoc est: *Si quis Oratorium (seu Templum, quod à Juvenal. sat. 3. v. 296. græcâ voce Proscencha vocatur) exstruxerit, & in eo ministros eligere (pro quo malè Latinus Interpres ordinare posuit) aut ipse aut ejus heredes velint; si quidem sumtus ministris suppeditabunt, & dignos nominabunt, ordinandos esse.* &c. Hic verò mirari subit, quis Cl. Voëtio, in *Polit. Eccles. l. 3. tr. 2. c. 3. p. 611. & 625.* dixerit, Justinianum in *Novellis* hisce per Clericos, non Pastores, sed *Minores* tantum *Clericos*, quales Acoluthi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii sunt, intelligere? cum tamen ipse Justinianus in *Nov. 123. c. 19.* indeque desumptâ *Auth. Presbyteros. C. de Episc. & Cler.* nec non Isidorus in *c. 1. distinct. 21.* disertissimis verbis dicant, appellatione *Clericorum* etiam *Presbyteros* sive *Pastores*, imò omnes ecclesiæ ministros, comprehendi.

V. Post Justiniani Imp. tempora Jus istud Patronatus minime in desuetudinem abiit, sed novis subinde constitutio- nibus

nibus amplius constabilitum fuit. *Concilium Toletanum IX.* quod A. C. 655. VIII. Kal. Decembr. sub *Constante* Imp. habitum est, *can. 2.* ita statuit: *Decernimus, ut quamdiu fundatores ecclesiarum in hac vitâ superstites extiterint, pro iisdem locis curam permittantur habere sollicitam, atque rectores idoneos in illis basilicis iisdem ipsi offerant Episcopis ordinandos.* &c. c. 32. *caus. 16. q. 7.* Integrum autem hunc canonem exhibet *Collect. Reg. Concil. tom. XV. pag. 386.* In constitutionibus sive *Capitulis* (ut vocantur) *Caroli M.* ab *Ansegiso* collectis, invenire est: *Si laici (Patroni nimirum) Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nullâ quâlibet occasione eos rejiciant.* l. 1. c. 90. cui geminum est alterum capitulum l. 5. c. 178. *Edit. Paris. in 8^o.* Varij deinde in variis Conciliis canones, variaque Pontificum rescripta de eo facta sunt, quibus illud certam formam accepit; ut videri potest in *t. t. Decretal. Sext. & Clement. de Jur. Patronat.* nec non in *Decret. Concil. Trident. passim.* Quo tempore cum superstitio & *ἡνέγεια πλάγος*, i. e. *efficacia erroris* ubique invalesceret, hominesque templa ac moles lapideas majori quàm Deum religione colere inciperent, & pietatem ferè omnem in exsatianda sacerdotum avaritia inexplebili ponerent: istud Jus Patronatûs in plerasque Europæ regiones migravit, ac in Hispania, Gallia, Anglia, Dania, Suecia, Belgio, Germania, ibique speciatim in Saxonia, Hassia, Palatinatu, ipsâque etiam Helvetiâ nostrâ usu receptum est.

VI. Cumque salutarî illa *Reformatione* Religio Christiana & regimen ecclesiasticum à corruptelis atque abusibus, quos Cleri Romani avaritia & ambitio invexerat, repurgaretur: Jus Patronatûs ex illarum regionum ecclesiis à Reformatoribus, ipsisque etiam Principibus & Magistratibus non eliminatum, sed ubique locorum retentum est. Iniquum enim fuisset, Patronos jure suo quæsito spoliare, non redditis, quæ in pios istos usus erogaverant, prædijs pecunijsve; & præterea id absque detrimento Religionis & Ecclesiæ illis relinqui posse videbatur. v. *Heidegg. Corp. Theol. loc. 27. sect. 1. § 28.* *Burmañ. Synops. Theol. l. 8. c. 7. § 20.* Imò in ipsâ *Synodo Dordracenâ* anno 1619. *can. 5. de Vocat. Ministr.* nec non in *Pacificatione*

Westphalicâ anno 1648. *art. 5. § 12. & art. 7. § 1.* non minùs inter Evangelicos quàm Pontificios, approbatum atque confirmatum est: unde id etiamnum hodie ubivis sine ullo incommodo aut damno ecclesiarum vel religionis exerceri videmus. Quid quod etiam *post Reformationis tempora* nonnulli ex ipsiſ quoque Evangelicis Principibus & Magistratibus, nova Jura Patronatùs concedere atque constituere non dubitaverunt. Sic Amplifl. Reip. *Tigurina* Magistratus anno 1682. civi suo *Joh. Henrico Lochmaño*, ejusque posteris masculis in perpetuum, Jus Patronatus in pago *Uetifen* in Præfecturâ *Vadisvilanâ* ad lacum Tigurinum sito, hæc de causâ concessit, quod is ad constructionem novi templi, domùsque parochialis, ex suis opibus plurimum contribuisset; adeoque effecisset, ut ex isto pago, qui alij antea parochiâ incorporatus fuerat, peculiaris parochia constitueretur: ut refert *Joh. Erhard. Escher. in Beschreibung des Zürich. Sees. pag. 200.* Aliud exemplum, idque illustrius atque recentius, mox *cap. seq. § 4.* afferam. In *Saxonia* quoque non inusitatum esse, ut Principes etiamnum Jura Patronatùs Nobilibus, Consiliarijs, aut Officialibus suis concedant, documento est *Formula Diplomatis*, quod super tali concessione dari solet; quod exhibetur in *Spathen Teuschler Secretariat. Kunst/ IV. Theil/ 4. Vorstellung/ pag. 374. edit. in fol.*

VII. Ex his igitur, quæ dixi, apparet, non optimè illos sentire, qui originem Juris Patronatùs *Justiniano* Imperatori adscribunt; in quorum tamen numero est ipse *Grot. de Imp. Sum. Pot. circa Sacr. c. 12. § 5. Steph. de Jur. Patron. p. 1. c. 5. & Schilter. in Inst. Jur. Can. 1, 14. 3.* nec non eos, qui illud *Jure* duntaxat *Papali* niti, ac *factum Cleri Romani, fermentumque Papatus* esse existimant. Nam concilium *Toletanum I.* annis 120. *Arausicanum* verò annis 80. *Justiniani* ætatem præcessit: *Paparam* autem dominatus longo post intervallo demùm exortus est; imò *Justinianus* Episcopos adhuc ipse creavit, sibi-que obnoxios habuit, ut ex *Novell. 6. 123. 131. & 137.* liquet.

CAP. VII.

Ostenditur, Jus Patronatus non injustum, neque ecclesiis perniciosum esse.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Multi Jus Patronatus tanquam injustum & perniciosum damnant.</p> <p>2. Jus Patronatus eo nomine non improbandum est. Ratio 1^a quia Juri naturali consentaneum est.</p> <p>3. Ratio 2^a quia Juri divino non contrarium est.</p> <p>4. Ratio 3^a quia Juri majestatis summorum imperantium nihil derogat.</p> <p>5. Ratio 4^a quia Libertati ecclesiarum non repugnat, nec iis damnosum est.</p> <p>6. Ratio 5^a quia Religioni non adversatur, licet patronus di-</p> | <p>versa ab ecclesia patronata religionis sit: quod ostenditur, 1^o si ille evangelicus, hæc verò pontificia sit.</p> <p>7. 2^o Si patronus pontificus, ecclesia verò patronata evangelica religioni addicta sit. Verba literarum Investiturae, quas Episcopus & Capitulum Constantiense Pastoribus Scaphusianis dare solet.</p> <p>8. Gisb. Voëtius, acerrimus ejus hostis, refellitur.</p> <p>9. Judicia trium Jctorum, Grotij, Ziegleri, & Strykij de hoc jure adducuntur.</p> |
|--|---|

I.

Quandoquidem autem multos, non Theologos tantum, sed etiam Jurisconsultos esse deprehendo, qui Jus Patronatus, tanquam ab æquitate & justitia alienum, imò in ecclesiarum perniciem natum, damnant, atque ex terris evangelicis eliminandum esse censent: operæ pretium me putavi facturum esse, si animo præjudicij experte in ejus *justitiam* inquirerem, idque à gravi illa censurâ, quantum rei veritas meique tenuitas judicij permittit, liberarem.

II. Principio igitur existimo, Jus Patronatus, quo alicui ejusque heredibus pro eo, quod ecclesiam sive templum suis sumptibus ædificavit, aut ita locupletavit, ut pastorem alere, aliasque pias impensas tolerare possit, jus nominandi sive eli-

gendi pastorem illius ecclesiæ conceditur, *Juri Naturali* consentaneum esse. Cujus asserti veritas ex eo apparet, quod jus istud bonâ cum voluntate atque *consensu* eorum, penes quos electio erat, introductum est. Quodsi enim quis jus eligendi pastorem toti *cœtui* asserere velit (quod tamen in primitiva saltem ecclesia ei non competiisse, *supra c. 5.* ostendi), anne dubitabit, quin primis illis temporibus multitudo fidelium, qui loco ad publicum Dei cultum commodo, proprioque pastore, & facultatibus exstruendo templo alendoque ministro ac alijs impensis sufficientibus, carebant; quin, inquam libentissimè consenserint, sibi que etiam gratulati fuerint, si quis pio affectu ductus beneficium adeò exoptatum atque salutare in eos conferre paratus esset, id tantum rogans, ut sibi vicissim jus pastorem idoneum in ecclesia illa à se conditâ nominandi relinquerent? Annon ipsum *grati animi officium* jubebat, ne autori tanti beneficij, quo in peculiarem quasi gregem colliguntur, munus istud, quod ad ipsorummet salutem tendit, denegarent? Nec dubium est, quin etiamnum hodiè pagus fortè aliquis, qui proprio templo atque pastore adhuc destituitur, cultumque divinum in dissito aliquo loco, non sine magno suo incommodo, peragere necesse habet, talem sibi Patronum vehementer optaret, ejusque patrocinium maximo cum gaudio subiret. Quodsi quis excipiat, *Episcopus* hoc jus Patronis primitus constituisse: manet nihilominus eadem consensus Parœcianorum præsumptio, eademque æquitatis ratio. Unde etiam Duaren. *de Sac. Eccl. Ministr. l. 5. c. 4.* ait: *Sicut institutum ejus merito commendatur, qui pio affectu religiosus ductus, de sententiâ consilioq; Antistitis sui, rem suam consecrat Deo, ejusdem proprietate amissa: ita æquum visum est, eum aliquid juris retinere, quod pietatis ipsius singularisq; in ecclesiam voluntatis perpetuum monumentum esse possit.* Quodsi autem electio ministrorum ecclesiæ *Summis Imperantibus* tribuatur: apparet, Jus Patronatus eorum quoque consensu, sive expresso sive tacito, receptum fuisse. Qui enim apertè ac legibus latis id non confirmarunt, quod Justinianus, Carolus M. aliique plures fecerunt: illi tacitè saltem, liberalitatem privatorum sive subditorum sive exterorum in ædificandis aut dotandis ecclesiis

in

in ditione sua, hac lege factam acceptando, id ratum habuere.

III. Deinde nec *Juri Divino* Jus Patronatus repugnat. Cum enim nullibi definitum reperitur, à quo & quâ ratione electio pastorum fieri debeat, nedum ut jus istud certis hominibus immutabiliter collatum esse legatur: liberum sane relinquitur, sive cœtibus sive principibus, hoc electionis jus in quemcunque voluerint resignare; adeoque nec ejus in Patronum, seu eum, qui ecclesiam fundavit, exfruxit, & dotavit, translatio ipsis interdicta dici potest. Neque ulla apparet ratio, quare hæc illis adempta esse intelligeretur. Si enim fas est, fideles Deum in templo unitis votis & vocibus celebrare; si pium est, verbi divini præconem religionis Christianæ mysteria publicè explicantem audire: quis quæso prohibitum esse diceret, eum audire ministrum, quem elegit ille, qui ut populus eo in templo conveniendi opportunitatem haberet, piâ suâ liberalitate autor fuit? Denique, si Apostolus 1. Petr. 2: 13. jubet, ut *πῶς ἢ ἡσέοι ἀνδραγαθῶν*, id est, *omni humanæ ordinationi* nos subjiciamus; qualis tamen tunc temporis ab ethnicis Christianæque religionis hostibus fiebat: quanto magis divinæ voluntati consentaneum erit, *Juri Patronatus*, quæ quidem *ἀνδραγαθῶν ἡσέοι* est, sed à Christianis profecta, & ad publicum cultûs divini exercitium promovendum instituta, ubi id legitime constitutum est, se subjicere.

IV. Sed nec cum *Jure Majestatis*, quod summis imperantibus competit, Jus Patronatus revera pugnare deprehenditur. Primò equidem intuitu id de *Jure Sacrorum* nonnihil delibare videtur; quod tamen tanti non est, ut istud propterea deminutum esse verè dici possit: cum Princeps id non *abdicativè* sive *privativè*, sed *cumulativè* sive *communicativè* (ut loqui amant) Patrono concesserit: adeò ut hic id non independenter, sed dependenter à summâ potestate, cujus ipse *subditus* est, habeat; utpote cui electionem à patrono factam, vel ratam habendi, vel justam ob causam rescindendi, facultas salva manet atque integra. Ut proinde Jus Sacrorum per Jus Patronatus non magis imminuatur, quàm si Princeps exercitium aliorum quorundam majestatis jurium subdito concedat;

dat; quod fieri posse Politici affirmant, & sæpè fieri experientia docet. Nec est, quod dicatur, summa Potestati electionem hanc privato permittere saltem idè non licere, quòd ipsa totum populum repræsenteret. Id enim, si (ut modò ostendi) populo licet, utique illi etiam licebit, qui populum repræsenterat. Præterea, si summa potestas in omnium majestatis jurium exercitio totum populum repræsenterat, & nihilominus quorundam exercitium citrà controversiam privato committere potest; quidni idem ei in electione Pastorum ecclesiæ licebit? non enim video, quare princeps in hac Juris Sacrorum parte populum magis repræsenteret, quàm in aliis Summi Imperii partibus quibuscunque. Et quamvis Princeps, si ipse Sacrorum antistites eligat, consiliarios ecclesiasticos in consilium adhibere possit soleatque, ut nonnisi idonei ecclesiis præficiantur: nihil tamen impedit, quominus etiam Patronus tales eligere possit. Quodsi forsan iste indignum præsentaret, principi jus relinquitur, hunc ex eorundem consilio justam ob causam recusandi. Quod autem speciatim *Jus Patronatus in territorio alieno* attinet; non abnuo, hoc de Jure Sacrorum aliquid delibare, vel saltem istud limitare atque restringere: cum Princeps in Patronum hunc extraneum nihil juris vel autoritatis habeat. Attamen tale Jus Patronatus suo quoque modo (qui ex iis, quæ superius dicta sunt, colligi potest) Principi seu domino territorii subordinatum est; atque adeò hujus majestati non magis derogare videtur, quàm si quis extraneus Jurisdictionem aut aliud aliquod jus (sive feudi, sive alio quopiam titulo) in ejus territorio habeat. Interim non negaverim, ubi tale Jus Patronatus nemini adhuc quæsitus est, Principem dignitati suæ rei que publicæ melius consulere, si id extraneo in sua ditione non facillè concedat: quæ etiam causa esse videtur, quòd Jus Patronatus in territorio alieno hodiè rarissimè amplius, saltem originarie, acquiri observetur. Attamen *Serenissimus atque Potentissimus Borussiae Rex Fridericus*, gloriosissimæ nunc memoriæ, superiore demum anno *Illusterrimis Rebuspublicis Tigurina & Bernensi*, Jus Patronatus in coloniis Helvetiorum Religioni Reformatæ addictorum, quæ in regio suo territorio, speciatim in *Deistatt. Eberswalden* ali-

bique

bique jam constitutæ sunt, & porro constituentur, ultrò conferre dignatus est: ita ut duæ istæ Civitates ex suis civibus Pastores & Præceptores pro coloniis istis, per modum alternationis, prout quæque parochiæ vacantes erunt, in perpetuum eligere atque præsentare possint. Quod eo consilio factum esse apparet, tum ut istæ cæteraque Civitates Helvetiæ Evangelicæ ad sumtus templorum ædificationi necessarios eo liberalius contribuendum incitarentur; tum ut earum subditi ad colonias illas eo libentius frequentandas allicerentur, si suæ nationis Pastores atque Præceptores ibi haberent.

V. Porro, Jus Patronatûs nec ideò reprobandum est, quod *Libertati Ecclesiarum* inimicum sit, aut in earum *damnum* atque *perniciem* vergere possit. Si enim per istam libertatem ipsum jus eligendi pastores intelligatur, quod omninò intelligere videntur, qui hoc argumento pugnant: id, ut supra demonstravi, in jure divino non fundatum, & postmodum in summos imperantes translatum est. Deinde non apparet, quare id ecclesiis damnosum esse possit, cum Patronus nonnisi idoneum ministrum præsentandi jus habeat, neque aliquem ecclesiæ invitâ obtrudere queat. Præterea summæ potestatis est, abusus, si qui irrepserint, tollere, & quovis modo providere, ne quid ex hoc jure detrimenti ecclesiæ capiat. Unde quamplurimas ecclesias salvas adhuc & incolumes videmus stare, quæ inde ab aliquot jam seculis Patronos agnoverunt.

VI. Denique nec illud Jus Patronatûs, quod ei, qui diversâ ab ecclesiâ patronata *religioni* addictus est, competit, hoc nomine damnari meretur, quod Patronus talem Parochum, quem à salutari doctrinâ alienum esse persuasus est, præsentando, religionem quam ipse falsam esse credit, promovere videatur. Quomodo enim contrariam religionem promovere dici potest, quo parochum non præsentante, illa in eodem statu permaneret; ac nihilominus ejusdem religionis pastor ecclesiæ illi tandem ab alio, Episcopo putâ vel Domino territorij (ut infra dicetur), præficeretur? At verò tantum abest, ut talis patronus adversam religionem promoveat, ut sapissimè mala, quæ ex moribus hominum illi religioni addictorum oriri solent, coercere possit. Nam ut rem exemplo

K

decla.

declarem, si *Evangelicus* aliquis Jus Patronatus in Ecclesia Pontificia habeat; potest ex pluribus qui ei nominantur, aut munus hoc ambiunt, moderatiorem & pacis concordiaque amantiorem, quique superstitionibus minus addictus est, eligere, & qui tales non sunt repudiare: id quod non solum parochianos magis edificabit, verum etiam reliquos illius vicinia Clericos ita in officio continebit, ut (qui alioquin illorum hominum mos est) in Religionem Evangelicam, & qui eam profitentur, maledico ore debacchari ultro abstineant, ac in civili quoque societate nostratibus eo aequiores & commodiores sese praebeant.

VII. Neque etiam vicissim Jus Patronatus, quod Pontificis in Ecclesiis Evangelicis competit, istarum Religioni detrimento vel fraudi esse poterit. Cum enim Jus Sacrorum non ad Patronum, sed ad Principem seu Dominem territorij, in quo ecclesia patronata sita est, pertineat, qui in casu proposito plerumque ejusdem cum ista religionis erit, satis apparet, huic nihil periculi a Patrono imminere posse. Et alioquin etiam huic rei tum in Germania, tum in nostra quoque Helvetia, abunde cautum atque provisum est, quod tali casu Patronus Pontificius non nisi Evangelicum Pastorem praesentare possit; imò quod Ecclesiae istius patronatae Princeps aut Magistratus, vel si hic quoque Pontificiae Religioni sit addictus, ipsamet unum aut plures nominare possit, ex quibus Patronus unum eligere teneatur: ut *supra* c. 3. pluribus expositum fuit, & *infra* c. 9. amplius dicetur. Sed neque hoc est metuendum, ne forsitan talis Pastor in gratiam Patroni Pontificij, & ne forte eam excidat, de adversa religione, ejusque doctrina & cultu mitius molliusque quam fas est, publice loqui audeat: cum Patronus hoc, utpote quod non ad suam, sed ad Episcopi vel Domini territorij curam pertinet, ei interdicere nullo jure possit, multo minus eum removendi potestatem habeat. Nec sane ullus cordatus Patronus Pontificius a Pastore Evangelico a se electo vel confirmato tale quid exigere, eive hoc modo os obturare volet; reputans, etiam in ipsa Religionis materia aequum esse, ut quod quisque juris in alium statuit, eodem ipse utatur. Quinimò si verborum *formulas* inspiciamus, quibus Patroni Pontificij

fci in investitura (quam vocant) Pastorum Evangelicorum
 passim uti solent; deprehendemus, istis *παισιωτικῶν* & libertatem
 in docendo, cæterisque muneris sui functionibus, illibatam
 relinqui. Memorabile est, quod pius & venerabilis ille Senex,
 multis dum viveret laboribus periculisque jactatus, *Barthol.*
Anbornius (quondam Avo meo paterno, utpote æquævo, per-
 quam familiaris; uterque *viv. in manusc. in Theatr. Topic.*
part. 8. p. 313. refert: Cum sibi Parochia Evangelica in urbe
 Turgovia *Bischoff-Zell* à *Proposito* Ecclesiæ Collegiæ *divi Pe-*
lagij, *Probst* in *St. Pelagien-Stift* (qui tum *Urien*is erat)
 tanquam à Patrono, conferretur, in Investiturâ istâ his verbis
 usum fuisse: So gehet nun hin/ und wartet dem euch anbesohle-
 nen Amt mit Treuen ab; wie ihr solches am Jüngsten Tag vor
 dem Richterstuhl Gottes zu verantworten getrauet. Sed multo
 magis memorabile & pene dixerim admirabile est, quod tum
Episcopus Constantiensis, tum ejus etiam *Capitulum*, tanquam
 Patroni quarundam Parochiarum in territorio *Scaphusiano*,
 Pastori ab istâ Civitate sibi presentato, in *litteris investituræ*,
Lehen oder *Befallungs-Brief* sigillo suo munitis, disertis hisce
 verbis præscribere atque injungere soleant: Fürs erste soll Er
 mit höchstem Ernst und Fleiß die Pfarr-Genossen mit Biblischer
 und Evangelischer Schrifft in seinen Predigen/ auch andern Kir-
 chen-Diensten/zu gebührlicher und ordentlicher Zeit gerechtlich/ recht/
 und wahrhafft ohne Klag versehen. Zum anderen seine Lehr und
 Predigen mit gerechten Biblischen und Evangelischen Schrifften
 dahin tenden/ daß die Underthanen nicht zu Aufruhr und Un-
 gehorsam/ oder anderen freventlichen Lastern verursacht; sondern
 vielmehr zu einem Gott-gefälligen frommen/ gegen ihrer Oberkeit
 gehoramen/ und gegen dem Nächsten ehrbaren und unverweislichen
 Leben/ gelehret und gewisen: damit Gott und den Menschen von
 ihme und ihnen/ so viel möglich/ Liebe und Gehorsam bewisen wer-
 de. Quæso, anne ab orthodoxo aliquo Principe, Magistratu,
 vel Antistite, officium Pastoris Evangelici nervosius & *ἐπιφαν-*
ωτέρως exprimi possit? Igitur non est dubitandum, quin Mi-
 nister Evangelicus talem vocationem, quamvis à Patrono Pon-
 tificio profectam vel confirmatam, tanquam legitimam, bonâ
 cum conscientia suscipere possit: quod *Anhorn. dicto loco*, nec
 non *Balduin. in Cas. Conscient. l. 4. cas. 5.* rectè affirmant. Qua
 K 2 cum

cum ita sint, mirum non est, Jus Patronatus etiam cum *Jure Civili*, atque *Ecclesiastico*, nec non *Moribus* plerorumque Europæ regnorum atque rerumpublicarum convenire; neque post Reformationem ullis in locis inter Evangelicos abrogatum fuisse: ita ut vel hoc solum fortissimam gignat præsumtionem, id naturâ suâ non malum neque injustum esse.

VIII. Extitit tamen inter Reformatos Theologos in primis *Gisbert. Voëtius*, qui acerrimum se Juris Patronatus hostem profitetur; idque, tum in peculiari *Dissertatione* de eo conscriptâ, tum in *Polit. Ecclesiast. l. 3. tr. 2. c. 1. & seqq.* totis viribus impugnat, ac in primo statim agmine inter legitimæ Vocationis Ministrorum opposita collocat, & quicquid congerere argumentorum potuit, in illud torquet: quod ipsum indicio est, eum numero magis quam pondere argumentorum pugnare; forsân, ut si non possint singula, multa juvent. Eorum XXI. sunt, quæ breviter recenset Cl. D. *Böhmer. de Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. § 21.* judicium de illis lectori relinquens. Contra Voëtium calamum strinxit *Martin. Schookius* in *Dissert. de Jur. Patronat.* quæ inter ejus *Exercitationes XVIII.* est. Cui quamvis non per omnia assentiar: singulis tamen Voëtij argumentis & Schookij responsonibus examinandis atque refellendis, immorari, nec operæ nec temporis pretium esse existimo. Subjungam saltem *sex propositiones*, quarum veritatem in præcedentibus stabilire conatus sum, & quibus pleraque ejus argumenta facile solvi posse puto. Sunt autem hæ: (1.) Jure divino definitum non est, à quo electio pastorum fieri debeat. (2.) Jus eligendi ministros ecclesiis non ex institutione divinâ, adeoque nec immutabiliter, competit; sed id potius penes Summos Imperantes Christianos est. (3.) Summi imperantes electionem pastorum alijs permittere possunt, salvo sibi jure eam confirmandi, vel justis de causis rescindendi. (4.) Jus Patronatus non ex papatu ortum duxit. (5.) Patronus non nisi idoneum pastorem præsentare debet. (6.) Pastor ecclesiæ invitæ non est obtrudendus.

IX. Ut autem ijs, quæ de Justitiâ Juris Patronatus hucusque disputavi, apud benevolos lectores eo plus autoritatis atque splendoris conciliem; *trium* adhuc gravissimorum *Jurison-*

risconsultorum de hoc jure *judicia* heic subijciam. Primum est HUG. GROTH, qui in tr. de Imp. Sen. Pot. circa Sacr. c. ult. § 6. ait: Illud verius est, tum factam à Patrono electionem iustis de causis à summa potestate rescindi posse; tum jus hoc omne; non minus quam cætera, quæ privatorum sunt propria, legum imperijs subjacere. Quibus frenis si accedat tum exploratio plebis, tum pastoralis ordinatio, non magis à nobilibus patronis, quam à rusticis senioribus metuenda erit ecclesiæ labes. Alterum est CASP. ZIEGLERI, qui in tr. de Episcop. l. 2. c. 3. § 13. censet: Quodsi jus præsentandi ita explicetur, ut solum denotet jus nominandi & proponendi certam aliquam personam, de ea autem & qualitatibus ejus iudicium relinquatur non Episcopo tantum, sed toti etiam ecclesiæ, & electio ita ab omnibus ordinibus, quotquot ecclesiam constituunt, perficiatur; causæ nihil erit, cur Jus Patronatus tot jam seculis receptum rejici debeat, & ex ecclesia prorsus eliminari. Sane necessarium est in omni societate, ut sit aliquis qui primum habeat suffragium, quique de rebus agendis primo loco suam dicat sententiam. Quodsi igitur placuerit, ut circa electionem ministri ecclesiæ Laicus aliquis de ecclesia benè meritus primum habeat votum, non exclusis reliquis qui ejusdem ecclesiæ membra sunt, quid est, quod reprehendi in tali ordine queat? Et ita se habet hodie Jus Patronatus in Ecclesiis Saxonis, in quibus non aliam ob finem concionem *δογματικὴν* ad populum habere jubentur Candidati duo tres quatuorve à Patrono nominati, nisi ut ex illis eligi deinceps possit maximè idoneus. Tertium est SAM. STRYKII, qui in Not. ad Brunnemañ. de Jur. Eccl. l. 2. c. 8. § 1. ita de eo judicat: Si supponamus, nominationem vel præsentationem ministri ecclesiæ Patrono competentem, non excludere consensum & approbationem Ecclesiæ, quominus hæc propter justas dissentienti rationes nominato contradicere possit; pariterque Episcopi vel apud nos Consistorij iudicium simul, an dignus ad functionem ecclesiasticam sit nominatus, adhibendum esse: non video, quid monstri in ecclesia alat Jus Patronatus. Quodsi igitur vitia quædam atque abusus occasione ejus alicubi irrepserint, cogitandum est, ea Hominum, non Juris Patronatus vitia esse; nosque in fece ecclesiæ vivere, ubi cum omnia etiam rectè sunt circumspècta, nihil tamen est, quod incommodo vacet. Denique à Pontificijs quoque Jus Patronatus etiamnum

approbari, constat ex decreto Concil. Trident. Sess. 25. de Reformat. cap. 9. pr. cujus verba, hæc de re satis cordata, hæc sunt: Sicuti legitima patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum.

CAP. VIII.

Modi acquirendi Jus Patronatus in genere, & in specie in Territorio Alieno.

- | | | |
|---|---|---|
| 1. Partitio hujus capituli. | ¶ | modo vel ut allodium, vel ut feudum conceditur. |
| 2. Modi acquirendi Jus Patronatus quotuplices sint. | ¶ | 10. Modi acquirendi Derivativi duo sunt. Inter vivos J. P. transfertur Donatione, Investitura, Permutatione, Venditione, Locatione. |
| 3. Ad ejus acquisitionem consensus Episcopi opus est. | ¶ | 11. Mortis causa transfertur Legato vel Hereditate. |
| 4. Modus acquirendi Originarius 1 ^{us} est Fundatio. In ea non necesse est, ut J. P. expresse referretur. An id etiam in Ecclesiis Collegiatis valeat. | ¶ | 12. Hi modi acquirendi speciatim ad Jus Patronatus in Territorio Alieno applicantur. Quomodo hoc originarie constituitur. |
| 5. 2 ^{us} est Aedificatio. An vallus templum in fundo feudali absque consensu domini extruens, J. P. acquirat. Huc etiam Readificatio pertinet. | ¶ | 13. Quomodo id in alios extraneos transferatur. Alienationis exempla duo: unum Scaphusanum, alterum Basiliense. Quo titulo Episcopus Constantiensis J. P. in territorio Scaphusiano habeat. Status Evangelici post Reformationem in J. P. Cœnobiorum suorum successerunt. |
| 6. 3 ^{us} est Dotatio. Ad eam quoque Redotatio pertinet. | ¶ | |
| 7. An tres isti modi copulativè an disjunctivè requirantur. | ¶ | |
| 8. 4 ^{us} est Præscriptio. Circa eam tres casus distinguendi sunt. | ¶ | |
| 9. 5 ^{us} est Privilegium. Hoc | ¶ | |
| | ¶ | 14. Quo- |

14. *Quomodo J. P. in proprio vel per Retractum impeditur territorio in patronum extraneum transferatur. Alienatio illius vel per Statutum* 15. *Modi quidam extraordinarii & variores, quibus J. P. in territorio alieno fit.*

I.

DE acquisitione Juris Patronatus in Territorio Alieno dicturus, commodissime ita procedere potero, si primo ostendam, quibus modis, vel potius, quibus ex causis Jus Patronatus in genere ex dispositione Juris Civilis atque Canonici acquiratur: deinde inquiram, an & quatenus ista causa ad Jus Patronatus in Alieno quoque Territorio acquirendum idonea sint.

II. *Modi acquirendi Jus Patronatus in genere, in Originarios & Derivativos distinguere possunt. Illi sunt, per quos initio Jus Patronatus in ecclesiam aliquam introducit. Hi sunt, per quos Jus Patronatus jam constitutum ab uno in alterum transit. Originarii modi rursus alij sunt Ordinarii, qui frequentiores sunt; alij Extraordinarii, qui rarius locum habent: illos Regulares, hos Irregulares vocat Ziegler. in Not. 6. ad Lancellot. 1, 28, 1. Modi acquirendi Ordinarii tres recensentur: Fundatio, Aedificatio, & Dotatio ecclesiae alicujus; quos tritissimus ille verficulus Gloss. in c. Pie mentis. 26. caus. 16. q. 7. complectitur:*

Patronum faciunt DOS, AEDIFICATIO, FUNDUS;
quem alij, servato ordine naturali, ita efferunt:

Patronum faciunt FUNDUS, CONSTRUCTIO, DOSque.

III. Haec verò in antecessum monendum est, ad Jus Patronatus tribus istis quos nominavi modis legitime consequendum requiri *consensum* atque *approbationem Episcopi*, in cujus dioecesi sive territorio ecclesia exstruitur. *c. 9. dist. 1. de Consecrat. c. 44. caus. 16. q. 1. c. 10. caus. 18. q. 2. Novell. 67. c. 1. & 2. Novell. 131. c. 7. aliisque text.* Cujus rei ratio non tantum hæc est, quia indecorum fuit visum, patronos privata autoritate servitutum ecclesiae imponere: sed potissimum, ut Episcopus dispicere possit, an locus ecclesiae assignatus honestus atque commodus sit; an dos ei constituta sit sufficiens; deni-

denique, quomodo regimen ejus rectè infitui queat. v. Steph. de J. P. p. 1. c. 12. Finkelth. de J. P. c. 4. n. 6. & seqq. Ziegler. ad Lancelot. 2, 18, 9. not. 2.

IV. Prima igitur causa acquirendi Jus Patronatus est **FUNDATIO**. c. 32. *caus.* 16. q. 7. c. 25. *sub f. X. de Jur. Patr.* Ea fit, quando quis proprium fundum ad erigendam ecclesiam destinat atque assignat, adeoque aream ei præbet: dicta quasi *fundi datio*. Aliquando tamen hæ duæ voces *Fundatio* & *Edificatio* confunduntur, vel una sub altera (sæpius ædificatio sub *fundatione*) comprehenditur; ut notat Ziegler. in *Not. ad Lancelot.* 1, 28, 2. & colligi potest ex verbis Concil. Trid. *Sess.* 14. *de Reform. cap. 12.* collatis cum *Sess.* 25. *de Reform. cap. 9. post pr.* Neque verò necesse est, ut fundans Jus Patronatus expressè sibi reservet, cum id tacitè ipso jure ei infit. Quæ autem tacitè actui alicui insunt, non opus est, ut exprimantur. arg. l. 12. ff. *de Condit. Institut.* sive, ut Imperator in l. un. C. *de Thesaur.* ait: *Superfluum est, hoc precibus postulare, quod jam lege permissum est.* Hac de re in terminis loquitur Gloss. in c. *Si quis basilicam.* 10. dist. 1. *de Consecrat. lit. p.* ibi: *Non licet dare aliquid ecclesiæ constructæ vel construendæ, etiam possessionem, ubi fundata est interveniente pactione, ut jus patronatus habeat; quia ipso jure ei debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat.* Argumenta dissentientium adducit, atque copiosè confutat Mart. Mager. à Schönborn. *de Advoc. Arm.* c. 9. n. 5 15. & seqq. Steph. de J. P. c. 13. n. 2. & seqq. Confil. Argentor. tom. 2. conf. 87. n. 40. & seqq. Quodsi tamen *Ecclesia*, quam quis fundavit, sit *Cathedralis*, in qua scilicet Episcopus cum Capitulo residet; vel *Collegiata*, quæ collegium seu capitulum canonicorum habet, atque ab eorum conventu etiam *Conventualis* vocatur: reservatio Juris Patronatus, saltem quoad effectum præsentationis, necessaria est; idèò quod canones in illis regulariter electionem liberam absque præviâ præsentatione requirunt, & ad illam patronum laicum non admittunt. c. 5 1. X. *de Election.* & c. 25. *de Jur. Patr.* Steph. de J. P. c. 22. Ziegler. ad *Lancelot.* 1, 28, 1. not. 5. Confil. Argentor. tom. 1. conf. 35. n. 56. præterè Pontificis ipsius consensu sive privilegio, ut vocant, apostolico, vel præscriptione opus esse; Dd. volunt. Brunnein. *de J. E. l. 2. c. 8. § 5.* ibi-
quo

que Stryk, *not.* Barbos. *de Jur. Eccl.* 2, 12, 46. Hæc verò exceptio iis in locis non obtinebit, ubi Jus Patronatûs etiam in Ecclesiis Collegiatis receptum est, quod de *Hollandia* testatur Grot. *de Imp. S. P. circa S. c. 12. §. 6.* & de *Helvetia* nostra ostendit exemplum, in nupero *Instr. Pac. Helvet. art. 1. §. Gleichfalls.*

V. Alter modus, quo Jus Patronatûs acquiritur, est **ÆDIFICATIO** sive **CONSTRUCTIO**. *Novell. 123. c. 18. c. 33. caus. 16. q. 7.* Quæ fieri censetur, cum quis templum suis sumptibus sive impensis extrui curat. Unde Patronus etiam *Κτίστης ἐκκλησιαστικῆς* vel *ἱερῶν οἰκῶν*, *Fabricator ecclesiæ vel domus sacræ. Novell. 67. c. 2.* nec non *Constructor. c. 33. caus. 16. q. 7.* vocatur. Movetur hic quæstio, *An etiam Vasallus, si in prædio feudali templum ædificet, Jus Patronatus acquirat?* Negari id Steph. *de J. P. p. 1. c. 13. n. 23.* & Finkelthaus. *de J. P. c. 4. n. 62.* eâ potissimum ratione nixi, quod talis ædificatio alienationem sapiat; hæc autem vasallo, etiam religionis causâ (ita enim formulam, *pro anima judicare*, quæ est in text. feud. intelligunt) interdicta sit. *2. Feud. 9. §. ult. & 2. F. 55. §. Habito.* atque adeò Dominum non Vasallum ejus effici patronum existimant. Enimverò in contrariam sententiam discedit Stryk. *in Not. ad Brunnem. J. E. 2, 8, 6.* ubi ait: Negari nequit, per extruccionem templi, & ita quæsitum Jus Patronatûs feudum reddi melius; meliorem verò conditionem feudi si reddat vasallus, etiam fundi faciem immutare poterit; nec nocetur ita domino, ad quem Jus Patronatus finito feudo transit. Utraque hæc sententia, quamvis adversâ fronte pugnent, vera est. Scilicet prior illa inter *Pontificios*, qui placita Juris Canonici pro oraculis habent, obtinebit. Cum enim secundum hæc, templum unâ eum ejus area seu fundo per Consecrationem in dominio patroni esse desinat, *c. 6. caus. 10. q. 1. c. 3. caus. 12. q. 2.* aliisque text. quos adducit Finkelth. *de J. P. c. 4. n. 45.* atque adeò alienetur: meritò dominus feudi, quo inconsulto patronus templum excitavit, Jus Patronatus in eo sibi vindicabit; cum tralatitium sit, vasallum partem feudi absque domini consensu alienantem, eam perdere. *2. Feud. 38. Rosenth. de Feud. c. 9. membr. 1. concl. 1. n. 1.* Quamvis autem aliâs talis alienatio nulla sit, hoc tamen casu eam ob favorem ecclesiæ subsistere

L

dicen-

dicendum est. *Posterior* verò sententia in terris *Evangelicorum* locum habebit. Nam cum inter eos *papalis* illa *consecratio*, per quam res sacræ dominio humano eximuntur, tanquam *commentum Clericorum*, ut Titius in *Comp. Laut. Obs.* 35. rectè censet, (de cujus origine eleganter diserit Frà Paolo Sarpi, dans son *traité des Benefic. art. 21. q. 2.* & ex eo Bohmer, de *Jur. Paroch. sect. 5. c. 3. § 2. & seqq.*) abolita sit, adeoque dominium directum areæ sive fundi penes dominum feudi remaneat: *vasallus* utique templum in prædio feudali, etiam non requisito domini consensu, extruere poterit, ejusque patronus efficietur; disertè enim ipsi ædificium in fundo feudali excitare permittitur. 2. *Feud.* 28. § *Si vasallus.* adeoque etiam ædes sacras extruere ei licebit, præsertim cum sic conditio domini melior reddatur. Neque tantùm ædificando novam ecclesiam Jus Patronatus acquiritur, verùm etiam *reædificando* sive *reficiendo* ecclesiam collapsam. *Novell.* 67. c. 2. § *Si autem.* Barbos. de *Jur. Eccl.* 3, 12, 32. Steph. de *J. P. c.* 14. Finkelth. c. 4. n. 79. Brunne-*mann.* de *J. E.* 2, 8, 6. Si enim templum incendio consumptum sit vel alio casu corruerit, Jus Patronatus extinguitur, ut *c. ult.* dicitur. Patronus ergo, si jus suum perpetuare velit, templum collapsum reædificare debet. Quod si facere nolit, jus ejus penitus expirat, ac alius ad ejus refectionem admittitur: qui si illud suis sumptibus reficiat atque restauret, hic Jus Patronatus consequitur, perinde ac si ab initio templum de novo excitasset. Secus verò est, si ecclesia tantùm ruïnosa atque per partes destructa sit: tunc enim neque Patronus jus suum amittit, neque alius, qui eam reparat ac renovat, ullum jus in ea acquirit. *Gloss. ad c. 3. X. de Jur. Patr.* Finkelth. de *J. P. c.* 4. n. 82. aliique alleg. à Stryk. in *Not. ad Brunnem. J. E.* 2, 8, 6.

VI. Tertia causa, ex qua quis Jus Patronatus consequitur, est DOTATIO. c. 30. & 31. *caus.* 16. q. 7. quæ est, assignatio reddituum sive censuum annuorum, ad sustentationem ministrorum ecclesiæ, aliasque expensas ecclesiasticas, necessarium. Multa heic atque egregia de *Dote Ecclesiæ* proferre in proclivi esset; sed cum integer de ea *Casp. Ziegleri*, Jcti non minus veræ pietatis quam solidæ juris scientiæ laude celebratissimi,

simi, tractatus extet, brevitatis ergo lectorem benevolum ad eum ablego. Id tantum hoc loco notari velim, istam appellationem à Dote quæ matrimonio carnali accedere solet, desumptam esse, ac natales suos debere infrunito illo pontificiorum commento, quo inter Episcopum aut Presbyterum & Ecclesiam conjugium spirituale fingunt. c. 2. X. de Translat. Episc. & c. 4. caus. 21. q. 2. Rectius isti reditus ecclesiastici *Dos ecclesie* eo sensu dicerentur, quo supellex cæterusq; rerum apparatus in fundis, *Dotes prædiorum* vocantur, in l. 2. § 1. & l. 20. § 1. ff. de Instr. vel instr. leg. & l. 52. § 2. ff. de Fidejussor. Illa verò Dos, quam Patronus offert, congrua sive sufficiens esse debet. Nov. 67. c. 2. Nov. 123. c. 18. c. 30. X. de Præbend. c. 1. Clement. de Jur. Patr. Concil. Trid. Sess. 14. de ref. cap. 12. Quænam autem ex placitis Juris Canonici ejusque Dd. pro sufficiente haberi queat, latè ostendit Ziegler, d. tr. de Dot. Eccl. c. 7. Est scilicet breviter illa, quæ tum ad necessarias ecclesie expensas sufficit, quas inter præcipua est, ut ministri qui ecclesie illi inserviunt, commodè sustententur: tum, quæ perpetua est; unde in bonis tantum immobilibus, hoc est, vel prædiis vel redditibus certis atque perennibus, consistere debet. v. Ziegl. d. tr. c. 8. Ejus verò determinatio judicio atque arbitrio Episcopi diocæsani relinquitur. c. 2. & 6. caus. 10. q. 1. qui tamen eam civiliter æstimare debet, ne patroni nimium onerentur, & à dotandis ecclesiis absterreantur. Neque eum in extructionem templi prius consentire oportet, quam dos sufficiens à patrono constituta sit. Nov. 67. c. 2. c. 26. caus. 16. q. 7. c. 9. dist. 1. de Consecrat. Ziegler. d. tr. c. 6. § 3. Quod autem superius dixi, non tantum ædificatione, sed etiam reædificatione Jus Patronatus acquiri; idem quoque in Dotatione valet. Si enim Dos ecclesie assignata citrà patroni culpam perierit, & patronus eam redotare nolit, alius qui novam ei dotem confert, ejus Patronus efficitur. Ziegler. in Not. 3. ad Lancellor. 1, 28, 21.

VII. Explicatis breviter tribus titulis ordinariis Jus Patronatus acquirendi; non prætermittenda est *Quæstio* haud levis momenti, quæ hic agitari solet, scilicet: *An tres illæ causæ, Fundatio, Constructio, & Dotatio, copulative an disjunctive requirantur*; hoc est, an ad consequendum Jus Patronatus ne-

cesse sit, ut quis ecclesiam & fundet, & ædificet, & dotet, an verò unum ex his sufficiat? Qua in re Doctores discessionem faciunt; ut videri potest apud Barbos, *de J. E. l. 3. c. 12. § 53, 61.* ubi ingens Dd, agmen adducit, Mager. *de A. A. c. 9. n. 572. & seqq.* Steph. *de J. P. c. 13. n. 11. & seqq.* Finkelth. *de J. P. c. 4. n. 74. & seqq.* Qui eas conjunctim requiri ajunt, hanc potissimum rationem allegant, quòd ecclesia non ex sola fundi assignatione, nec ex sola ædificatione, nec ex sola dotatione, perficiatur sive (ut loqui amant) in esse deducatur; sed tum demum, si tria illa simul concurrant. Contrà, qui ex adverso stant, & unam tantum ex tribus illis causam sufficere arbitrantur, eo præcipue nituntur argumento, quod canones alternativè loquantur. *c. Filii. 31. caus. 16. q. 7.* ibi: *Construxit vel dotavit.* Concil. Trident. *Sess. 25. de Reformat. cap. 9. post pr.* ibi: *Titulus Juris Patronatus sit ex fundatione vel dotatione.* add. *Sess. 14. de Reformat. cap. 12.* Sed tantæ inter eos lites optime componi posse videntur, si distinguatur inter eos lites optime componi posse videntur, si distinguatur inter *ecclesiam denuò extruendam*, & eam quæ jam *constructa* est. *Priore casu* omninò & fundatio & ædificatio & dotatio concurrere debent. Neque tamen necesse est, ut in una persona concurrant, quod quidem plerumque fieri solet: verum etiam in pluribus personis concurrere possunt, ita scilicet ut unus fundum assignet, alter suis sumptibus ædificet, tertius dotem conferat, ut supra *c. 4. § 5.* dictum est; & tunc Jus Patronatus penes plures istos in solidum erit. *Posteriore casu*, si videlicet ecclesia jam extiterit, non dubito, quin si vel ades corruerint, area & dote adhuc salva; vel dos perierit, fundo & templo adhuc superflite; vel denique, si dotatio ab initio omissa fuerit, non dubito, inquam, quin tunc ex alterutro titulo solo Jus Patronatus acquiratur.

VIII. Modi acquirendi Jus Patronatus *Extraordinarii* sive *Irregulares* duo sunt. Prior est *PRÆSCRIPTIO. c. 11. X. de Jur. Patr. & c. 13. in fin. de Election. in 6^o* Quæ tum contingit, postquam quis Jus Patronatus in aliqua ecclesia per legitimum tempus bonâ fide exercuit & quasi possedit. Quantum autem temporis ad eam requiratur, Doctores admodum variant. Mihi in hac quaestione, quæ satis intricata est, tres casus distinguendi videntur: aut enim *Præscriptio Juris Patronatus* contra

contrà alium Patronum dirigitur; aut contrà Ecclesiam, cui electio pastorum competit, quæque vulgò Libera appellatur; aut denique contrà ipsum Principem, penes quem jus eligendi ministros ecclesiæ est. Si contrà alium Patronum dirigitur, interest, utrum is Laicus an Ecclesia sit. Si præscriptio in *Laicum* torqueatur, videndum est, an Jus Patronatus *cum prædio* præscribatur, an *sine prædio*. *Illo casu* sufficiunt anni 10. inter præsentés, vel 20. inter absentes. *Hoc casu* 30. aut ad summum 40. annis opus est; quo tempore alii etiam juribus præscribitur. l. 3. & l. 4. C. de Præscr. trig. vel quadr. ann. Sin præscriptio opponatur *Ecclesiæ*, indiscriminatim non nisi annis 40. impletur. c. 4. & c. 8. X. de Præscr. & Auth. Quas actiones. C. de SS. Eccles. Quod si Jus Patronatus contrà *Ecclesiam Liberam* dirigatur: alia quidem ecclesia id similiter 40. annorum possessione acquirit; at Laico præscribendi facultatem nonnulli Doctores denegant. Sed cum ea, ut rectè argumentatur Finkelth. de Jur. Patr. c. 4. n. 96. Laico nullibi in Jure Canonico interdicta legatur; veriùs est illum quoque Jus Patronatus contrà Ecclesiam Liberam 40. annis præscribere posse. In hac autem præscriptione, quæ contrà Ecclesiam dirigitur, id singulare faciunt canones, quod cum omnis ecclesia in dubio libera censetur, Mascard. de Probat. vol. 2. conclus. § 86. adedque præsumtio contra præscribentem militet; justum quasi possessionis suæ titulum allegare ipsi incumbat, c. 17. in fin. X. de Præscr. & c. 1. eod. in 6. nisi tanti temporis alleget præscriptionem, cujus contrarii memoria non existat. d. c. 1. in f. tantum enim temporis spatium vim privilegii habet. c. 26. in m. X. de Verb. Signif. Denique si præscriptio juris patronatus dirigatur contra ipsum Principem, qui jus eligendi pastores habet, tempus immemorabile ad eam requiritur, quo videlicet alia quoque Regalia præscribi solent, d. c. 26. X. de V. S. Lauterb. in Coll. Jur. ad ff. 41, 3, 45.

IX. Alter modus irregularis seu extraordinarius acquirendi Jus Patronatus, est PRIVILEGIUM sive *Concessio per privilegium*. arg. c. 16. caus. 25. q. 1. Finkelth. de J.P. c. 4. n. 107. Quando scilicet is penes quem Jus Sacrorum est, alicui ex speciali beneficio concedit jus eligendi & præsentandi parochum

in ecclesia, quam nec fundavit, nec construxit, nec dotavit. Id quod Pontificem Romanum vi nescio cuius potestatis de Camera facere, Roch. de Curt. *tr. de Jur. Patr. rubr. de Transl. J. P. n. 34.* alique Canonistæ ajunt. Cùm autem hodiè inter Evangelicos quilibet Princeps & Status sit Papa in suo territorio (de quo axiomate post alios v. Stryk. in *Us. Mod. Pand. I, 1, 5.* quod etiam *paræmia germanicæ* locum fecit: *Ein jeder Herr ist Pappst in seinem Land.* v. Hert. *tr. de Paræm. Jur. Germ. 1.2. par. 2.*): dubium non est, quin hi quoque Jus Patronatûs in ecclesia sibi subjecta per privilegium concedere possint. Cæterùm isto modo Jus Patronatûs conceditur vel quoad plenum jus proprietatis, adeòque tanquam *alodium*: vel tantùm quoad dominium utile, tanquam *feudum*; idque aut solum, aut (quod frequentius usu venit) unà cum alio jure, vel pago castrove: quo modo id sæpius conferri solere, ipsa experientia testatur, Steph. de *Jur. Patr. c. 17. n. 6, 7.* Stryk. in *Not. ad Brunnem. J. E. 2, 8, 9.*

X. Sequuntur modi acquirendi *Derivativi*, quibus videlicet Jus Patronatûs jam stabilitum ab uno in alium transfertur. Eorum plurimi sunt, qui tamen omnes ad *Alienationem & Successionem* (nam *Præscriptionem*, quatenus ea contra Patronum dirigitur, commodius *supra* § 8. jam occupavi) referri possunt; quarum illa *inter Vivos*, hæc *Mortis causâ* fieri solet. Hos modos vulgatis illis versibus exprimit *Gloss. in c. Pia mentis. 26. caus. 16. q. 7.*

*Jus Patronatûs transire facit novus hæres;
Res permutata, & donatio, venditioque.*

Alienatur igitur Jus Patronatûs, perinde ut aliæ res & jura, potissimum per *Contractus*, quorum præcipuos tantùm breviter recensere, memor me dissertationem non tractatum scribere in animum induxisse. Scilicet transfertur Jus Patronatûs in alios 1^o. *Donatione*, c. 5. c. 14. & c. 23. X. de *Jur. Patr.* Ad eam tamen, si à Laico fiat alii laico, consensu Episcopi opus esse vult. *dd. cap. Ecclesiæ* verò facta donatio etiam sine episcopi autoritate, valet. c. 8. X. de *Jur. Patr. c. un. eod. in 6^o.* *Fiukel' h. de Jur. Patr. c. 5. n. 4, 5.* Transfertur 2^o. *Investiturâ*. c. 13. X. de *Jur. Patr.* Quodli enim dominus pagum vel castrium, in quo etiam Jus Patronatûs habet, alicui in feudum det,

det, etiam Jus Patronatûs ei cohærens in vasallum transit; Finkelth. J. P. c. 5, n. 10. Transfertur 3^o. *Permutatione*. c. 6. X. de *Rer. permut.* Quæ tamen nonnisi cum alio jure patronatûs, ex justâ causâ, & impetrato episcopi consensu permittitur. c. 5. & c. 9. X. de *Jur. Patr.* c. 40. *caus.* 16. q. 7. Id quod etiam confirmat Respons. Facult. Jurid. Lipsi, de ann. 1638, d. 31. Oct. quod adducit Finkelth. de *Jur. Patr.* c. 5. n. 7. Transfertur 4^o. *Venditione*. c. 23. X. de *Jur. Patr.* Jus quidem Patronatûs solum si- ve separatim & per se vendere Jure Canonico non licet. c. 6. & c. 16. X. *eod.* Barbos, de *Jur. Eccles.* 3, 12, 242, idque à Concil. Trid. *Sess.* 25. de *Reform.* c. 9. in m. sub penâ privationis prohibita est. Habetur enim pro re spiritali vel saltem quæ spiritali annexa sit, d. c. 16. pactio autem, quæ circa spiritalia vel spiritalibus connexa sit, labem semper continet simonia. c. 5. X. de *Rer. permut.* Sed si res ad amissim examinetur, Jus Patronatûs quanquam certo respectu ecclesiasticum sit, reverà tamen nec spiritalis est, nec propriè spiritali annexum; cum sit res, quæ in patrimonio habetur, & pro qua & actio & exceptio competit. Schilter. ad *π. Exercit. IV. coroll.* 4. ut proinde Simonia labem contrahere non possit: hæc enim propriè donorum spiritalium nundinatio est. arg. *Act.* 8: 18, 19, 20. adeoque à Pontificiis justo latius extenditur; quibus tamen non desunt emplastra ad labem illam perferendam, v. Ziegler. de *Jur. Maj.* l. 1. c. 41. § 51, 53. & *Not. ad Lancelot.* l. 4. r. 3. *passim.* Hodiè sanè in praxi Jura Patronatûs certo pretio æstimari possunt ac solent; quod de *Saxonia* testatur Finkelth. de *J. P.* c. 5. n. 17. Unde apparet, saltem inter Evangelicos Jus Patronatûs, etiam solum, emi vendique posse. Quicquid sit, hoc certum est, universitate rerum, ex. gr. Civitate, Pago, Castro &c. venditâ, etiam Jus Patronatûs unâ cum eâ transire, c. 13. X. de *Jur. Patr.* c. 18. X. de *Sent.* & re jud. Ziegler. ad *Lancelot.* 1, 28, 13. & tr. de *Jur. Maj.* 1, 2, 27. Finkelth. de *J. P.* c. 5. n. 11. & *seqq.* Lauterb. in *Coll. Jur.* ad ff. 18, 1, 18. & 19, 1, 28. Tralaticium enim est, multa hoc modo tacitè & per consequentiam unâ cum universitate transferri, quæ aliàs expressè & singulatim transferri non possent. Stryk. in *Not. ad Brunnem.* J. E. 2, 8, 12. Sic etiam in Jure Civili, quædam quæ non possunt sola alienari, per universita-

tem transferant; ut ait l. 62. ff. de Adq. rer. dom. cujus exemplum est, si locus venditus, ex parte aliquâ sacer vel religiosus sit: hæc enim venditio valet, quia non specialiter locus sacer vel religiosus veniit, sed emtioni majoris partis accessit; ut loquitur l. 24. ff. de Contrab. emt. Transferitur denique 5^o. Locatione. c. 7. X. de Jur. Patr. ubi per concessionem ad firmam quælibet locatio intelligitur; prout hanc vocem explicat Carol. du Fresne. in Glossar. quam significationem etiamnum vocabulum Italicum *ferma*, & Gallicum *ferme*, habet; quorum utrumque locationem & conductionem denotat: secus ac Bartol. in l. 1. C. de Jur. emphyt. u. 8. eumque secuti Dd. communiter; qui illam tantum de Locatione in longum tempus accipiunt. Cæterum per locationem non ipsa proprietas juris patronatûs, sed ejus duntaxat usus sive exercitium transfertur; ita ut conductor prædij, cui Jus Patronatûs cohæret, id vacante ecclesiâ exercere possit: quam in sententiam sex Responsa Juridica afferunt Finkelth. de J. P. c. 5. n. 55. Multo magis igitur per constitutionem *Ususfructûs* exercitium Juris Patronatûs transfertur. Brunnem. de Jur. Eccl. 2, 8, 15. Præsentatio enim ad beneficium vacans, *fructuum* nomine continetur. c. 19. X. de Jur. Patr. Roch. de Curt. tr. de Jur. Patr. rubr. *Quib. compet. n. 33.* Reink. de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 16. Finkelth. de J. P. c. 6. n. 17. Ex quo consequitur, si marito fundus, cui jus patronatûs annexum est, in dotem datus sit, præsentationem ad maritum non ad uxorem pertinere. Finkelth. d. c. 6. n. 15. & seqq. Stryk. in Not. ad Brunnem. 2, 8, 15.

XI. Mortis causâ Jus Patronatûs transfertur *Successione*; per quam non solum *Hereditatem* sed etiam *Legatum* intelligo, Legari enim posse Jus Patronatûs non dubito; cum Legatum nihil aliud sit, quam Donatio quædam, § 1. *Inst. de Legat.* donari autem id posse supra dictum est. v. Ziegler. ad *Lancellot.* 1, 28, 7. Deinde transit etiam in Heredes. c. 3. in pr. X. de Jur. Patr. c. 35. & c. 36. *caus. 16. q. 7.* Cum enim hereditas sit successio in univèrsum jus, quod defunctus habuit, l. 24. ff. de Verb. Sign. & l. 62. ff. de Rez. Jur. heres utique etiam in Jus Patronatûs succedet: unde Jus Patronatûs sequi hereditatem, ut canis leporem, lepidè (vel frigide potius) Doctores ajunt, v. Finkelth.

kelth. de J. P. c. 5. n. 66. Succedunt autem in illud heredes tam ex Testamento, quàm ab Intestato; neque Sui tantum, sed etiam Extranei; & Fœminæ æquè ac Masculi: omnes enim ejus capaces sunt, nullique in Jure Canonico exclusi leguntur; imo id etiam Fœminis competere posse, expressus est textus in *c. ult. X. de Concess. præbend.* Quodsi tamen Jus Patronatûs in feudum datum sit: fœminæ ut à feudi successione, ita etiam à jure patronatûs excluduntur. Stryk, in *Not. 1. ad Brunnem.* 2, 8, 10. Si plures sint heredes, Jus Patronatûs ad omnes æqualiter & in solidum pertinet. Stryk, in *Not. 2. ad Br. d. l.* Liberum verò ipsis est, vel de præsentatione *alternis vicibus* faciendi inter se convenire. *c. 2. Clement. de Jur. Patr.* Barbos. de *Jur. Eccl.* 3, 12, 252, adde, quæ *suprà c. 4. § 5.* dixi: vel illud *uni* ex cohæredibus in solidum assignare sive concedere. *arg. c. 14. X. de Jur. Patr.* Stryk. *d. not. 2.* Potest etiam vel dispositione testatoris, vel conventionione, vel consuetudine introduci, ut id tantum ad *Primogenitum* vel *Seniorem* ex familia transeat, Steph. de *Jur. Patr. c. 17. n. 18.* Mager. de *Adv. Arm. c. 9. n. 1136.* Quodsi defunctus *Compatronum* habuerit, omnes illius heredes unicum tantum suffragium obtinebunt. *c. 2. Clement. de Jur. Patr.* secus enim *Compatrono* superstiti suffragium suum à pluribus illis facile irritum redderetur. Ziegler. ad *Lancellot.* 1, 28, 7. Cæterum, quæ ratio succedendi jure communi in reliquis bonis observatur, eadem etiam quoad Jus Patronatûs locum habebit; nihil enim singulare hic in jure canonico dispositum est. Unica adhuc occurrit quæstio, *An jus patronatûs etiam transeat in heredem fideicommissarium*, cui heres fiduciarius hereditatem restituere rogatus est? Negant id Dd. communiter. v. Barbos. de *Jur. Eccl.* 3, 12, 232. Finkelth. de *Jur. Patr. c. 5. n. 70. & seqq.* Brunnemân, de *Jur. Eccl.* 2, 8, 11. aliique allegati à Stryk. in *Not. ad hunc Brunn. loc.* Utuntur autem tum argumento, quòd cum id magis honorem quàm commodum pecuniarium contineat, testator potius voluisse præsumatur, ut id apud heredem fiduciarium sive directum maneat: tum exemplo *Juris Sepulturæ*, & *Juris Patronatûs* in libertum, quorum neutrum in *Fideicommissarium* transit. *l. 42. § 1. & l. 55. pr. ff. ad SG. Trebell.* Ego tamen cum Stryk, in *Not.*

M

ad

ad *Brunnem. d. l.* distinguendum putem, utrum Jus Patronatus bonis annexum, an separatum sit: ita ut id *priore casu*, unâ cum bonis quibus cohæret, ad fideicommissarium pertinere; *posteriore* autem apud heredem directum remanere, existima- verim.

XII. Nunc modos istos, quibus Jus Patronatus acquiritur, speciatim ad *Jus Patronatus in Territorio Alieno* applicabo, ac dispiciam, an & quatenus ibi quoque locum inveni- ant. Hic autem tria distinctè consideranda esse video: 1^o quomodo Jus Patronatus in Territorio Alieno primitus constitua- tur. 2^o quomodo idem ad alios extraneos derivetur. 3^o quomodo id Jus Patronatus quod primitus in proprio territo- rio fuerat, ad extraneum transferri, adeoque in alieno ter- ritorio fieri possit. *Primum* quod attinet, dubium non est, Jus Patronatus in Territorio Alieno iisdem modis, quibus in proprio, primitus constitui & acquiri posse. Ubi tamen obser- vandum est, neminem extraneum ecclesiam in territorio alte- rius principis fundare, extruere, aut dotare posse, eo cum ef- fectu, ut ejus Patronus fiat, nisi Dominus territorii consen- tiat: haud secus ac inter privatos nulli in alieno solo ædifica- re, vel servitutem prædio alterius imponere, citrà volunta- tem domini licet. *Consensus* autem ille vel expressus est, vel tacitus. *Expressus* aut ex generali lege à principe lata innotescit, quâ hoc jus omnibus illis concedit, qui ecclesias in di- tione sua propriis impensis extruere ac dotare velint: aut spe- ciali indultu impetratur. *Tacitus* consensus colligitur ex con- suetudine quâ extranei æquè ac subditi, sciente & patiente territorii domino, ecclesias in ejus ditione fundant, ac jus patronatus in illis exercent. Porro circa *Præscriptionem* notan- dum est, ut ea in alieno territorio vim suam habeat, *temporis immemoralis* possessionem requiri: alia enim præscriptio inter- gentes non valet; ut pluribus ostendit Grot. *de J. B. & P.* 2, 4. § 7, 9. Puf. *de J. N. & G.* 4, 12, 11. Hert. in *Dissert. de Mod. Constit. Civitat. sect. 1. § 5.* *Privilegio* quoque Jus Patronatus in alieno territorio acquiri, argumento sunt *Fœda*, quæ prin- cipes sæpe extraneis concedunt; cum quibus etiam Jus Patro- natus iis annexum transire, vel etiam solum in feudum dari posse, suprà dictum est.

XIII.

XIII. *Però Jus Patronatùs primitùs in alieno territorio constitutum, iisdem etiam modis derivativis, qui superius expositi sunt, sive inter vivos sive mortis causa, in alios itidem extraneos transire atque transferri potest. Cujus rei cum plurima passim exempla reperiantur; duo insigniora ex Helvetia nostra, quæ quidem ad notitiam meam pervenerunt, hic adducere lubet. Prius ipsa Patria mea suppeditat. Scilicet A. C. 1100. Adalbertus Comes Marisburgi, Meersburg/ ad lacum Aconium siti, qui genus à Comitibus Kyburgensibus ducebat, Cœnobio Scaphusiano Omnium Sanctorum, dem Kloster Aller Heiligen/ Jus Patronatùs in parochia Illnaviensi, in der Pfarz Illnou/ in Comitatu Kyburgico (qui nunc Tigurina ditionis est) sita, unà cum Jure Decimarum in illo districtu, in compensationem damni, quod ipse Cœnobio illi (cujus Advocatus, Rassen-Wogt/ erat) bona ejus malè administrando atque dissipando, intulerat, concessit & tradidit. Hottinger. in Helvet. Kirchen-Histor. tom. I. lib. 4. pag. 605. ex Ruger, Scaphus. MS. Alterum exemplum præbet Ptochotrophium, der Spital/ in inclitya hâc urbe Basileâ, quod Jus Patronatùs unà cum Jure Decimarum in pago Egeringen/ in territorio Durlacensi A. C. 1392. emtionis titulo à Cunone Abbate Sangallensi, consentiente Episcopo Constantiensi (in cujus diœcesi pagus ille erat) pretio 500. aureorum sibi quæsitiv. Circa Successionem speciatim notandum venit, eam vix aliter, quàm in eo Jure Patronatùs, quod singulis personis, non item in eo quod integris communitatibus competit, locum habere posse. Nisi quis eum casum hac referre velit, cum minor aliquis Conventus Cœnobialis alteri majori incorporatur; quod inter Pontificios sæpè usu venit: tunc enim major iste Conventus, ut in omnia minoris illius bona & jura, ita etiam in ea Jura Patronatùs quæ ille forsân in aliena diœcesi aut ditione habuerat, succedit. Sic Episcopus Constantiensis inde ab eo tempore, quo Cœnobium Augiæ divitis, in der Reichenau/ nec non Oenningense, in Dentingen/ ipsius Episcopatus incorporata fuerunt, ea Jura Patronatùs, quæ istis tum alibi, tum speciatim etiam in agro Scaphusiano competeabant, nactus est: quæ proinde non quatenus Episcopus Constantiensis, sed quatenus vel Augiæ divitis, vel*

Oeningæ dominus est, habet atque exercet. Ad hujusmodi Successionem etiam revocari potest, quòd multi Principes & Status Evangelici post Reformationis tempora illis Cœnobiorum Conventibus in ipsorum ditione sitis successerunt, qui tunc Evangelicam Religionem amplexi, Cœnobias suas, cunctaque eorum bona, jura, ac reditus summis Imperantibus civilibus tradiderunt: qui proinde vi hujus traditionis Jurisque Sacrorum sibi competentis, ut in aliis, ita in hac quoque Jura Patronatûs, quæ illis Conventibus in alienâ diœcesi aut territorio competebant, optimo jure successerunt.

XIV. Denique nonnunquam fieri potest, ut Jus Patronatûs, quòd prius in proprio territorio fuerat, & ad Patronum indigenam pertinuerat, ad extraneum perveniat, atque ita in Jus Patronatûs in Territorio Alieno degeneret. Id quod variis modis, qui vel ad *Alienationem* vel ad *Successionem* pertinent, contingere potest. Et de *Successione* quidem, in eo Jure Patronatûs quod singulis personis competit, nullum est dubium; cum scilicet indigenæ defuncto, heres peregrinus, ut in reliqua bona, ita etiam in Jus Patronatûs, quod iste in illo territorio habuit, succedit: nec enim video, quomodo dominus territorii hoc impedire vel prohibere possit. Alienatio verò Juris Patronatûs à cive sive subdito in extraneum, impediri potest vel per *Legem* sive *Statutum*, vel per *Jus Retractûs*. Ubi enim in loco aliquo lex vel statutum extat, ne liceat civibus seu subditis bona immobilia, prædia, jurisdictiones & similia, in peregrinos sive forenses transferre; quod multis in locis prohibitum esse testatur Mev. *ad Jus Lubec. l. 1. t. 2. art. 5.* Lauterb. *in Coll. Jur. ad ff. 18, 1, 13.* ac speciatim etiam in legibus fundamentalibus *Civitatatis Scaphusianæ* sancitum est: ibi Jus quoque Patronatûs per venditionem aliumve titulum in peregrinum transferri, atque adeò extra territorium alienari non poterit; cum hoc ad idem illud rerum genus pertineat, eandemque in hoc, quæ in illis, rationem valere manifestum sit. Ubi verò talis alienatio lege vel statuto prohibita non est; tunc si Patronus indigena Jus Patronatûs extraneo vendit, non dubito, *Retractui* non minus locum esse, quàm in venditione rerum immobilium; cum in istarum censum etiam Jus Pa-
trona-

tronatus veniat. Sed quibus tunc Jus Retractus competet? Puto id competere posse Compatrono, Consanguineo, Domino territorii, denique alii Civi sive indigenæ. Verum cum hic Retractus Juris Patronatus admodum rarus sit, ei accuratius explicando immorari nolo; sed brevitatis studio lectores, qui plura de eo desiderant, ad illorum volumina remitto, qui de Retractu ex instituto scripserunt. Id tantum addo, Retractum hunc secundum leges vel consuetudines illius loci, ubi ecclesia patronata sita est, fieri debere.

XV. Sed & aliis quoque modis fieri potest, ut Jus Patronatus, quod quondam in proprio territorio fuerat, postmodum in alieno territorio esse incipiat: qui tamen *extraordinarij* sunt, ac raro locum habent. Puta, si ille territorij districtus, in quo jus patronatus indigenæ competit, alienetur, & in extraneum transferatur, Patrono sub priore domino manente: tunc enim ex eo tempore hoc Jus Patronatus in territorio alieno erit. Huc etiam pertinet, quod Episcopi Pontificii ante Reformationem Jura Patronatus in multis Parochiis, in sua diocesi, adeoque in proprio quasi territorio sitis, habuerunt: quæ postquam Episcopalis eorum Jurisdictio in terris Evangelicorum, verbo quidem *suspensa*, re ipsa verò extincta atque *sublata* fuit, & ad territorii dominos evangelicos postliminiò rediit, penes ipsos manserunt; sed inde ab eo tempore similiter in alieno territorio esse cœperunt.

CAP. IX.

Jura Specialia, quæ Patrono circa ecclesiam patronatam in Territorio Alieno competunt.

1. Jura Patroni sunt triplicis generis.
2. Ad HONOREM Patroni pertinet 1^o Præsentatio. Par-
3. Præsentari debet Parochus idoneus. Adeoque, qui ejusdem cum ecclesiâ patronatâ religionis est.

M 3

4. Pa-

4. Potest presentari, quemcunque patronus voluerit. Nisi & familia sua. 7^o. Jus Sepulturae.
- J. P. Limitatum sit. An etiam 12. Ad EMOLUMENTA Patroni refertur 1^o Census, si ab initio reservatus fuerit; quod licet.
5. Cui, & Intra quod tempus presentatio fieri debeat.
6. Quomodo ea fieri possit vel debeat.
7. Parochus gratis presentari debet. Improbatur consuetudo in Germania, qua patronus condidatum non aliter admit- tit, quam si defuncti parochi viduam vel filiam ducat.
8. Effectus presentationis. Episcopus vel Dominus territorij presentatum confirmare tenetur, si idoneus sit; sin minus, eum rejicere potest.
9. 2^o. Presentia in actu investiturae. Patronus tamen propterea sumtus ad eam suppeditare non tenetur.
10. 3^o. Praecedentia. Variæ applicationes c. 26. & 27. caus. 16. q. 7. & c. 25. X. de Jur. Patr.
11. 4^o. Nominum & Insignium appositio. 5^o. Preces publicæ. 6^o. Subsellia pro se
13. 2^o. Alimenta, si ad inopiam vergat.
14. 3^o. Decimæ, quas multis in locis, praesertim in Helvetia, simul percipere solet.
15. Ad ONUS Patroni spectat Defensio personarum & rerum ecclesiae patronatae. Hinc etiam redditioni rationum interesse potest.
16. An patronus parochi salari- um praebere, vel aedes Sacras aut Parochiales reparare teneatur. Annon hæc reparatio saltem illi incumbat, qui Decimas percipit.
17. Ad Jus Patronatus non pertinent Jura Episcopalia: adeoque non Cura animarum, nec Vistatio ecclesiae, nec Jurisdic- tio, nec Administratio bonorum ecclesiastico- rum.
18. Jura ista indeque orta obli- gationes specialius dividuntur.

I.

EX acquireto Jure Patronatus in Territorio Alieno varia Jura specialia in Patronum redundant; quorum pleraque Juris Civilis & Canonici autoritate nituntur, nonnulla verò Moribus introduc- ta sunt. In his exponendis com-

communem Doctorum divisionem sequar, qui ea ex Gloss. in c. *Pia mentis*. 26. *caus.* 16. q. 7. ad tres classes referunt: nimirum *Honorifica*, *Onerosa*, & *Utilia*; quorum præcipua binis hæc versibus comprehenduntur:

Patrono debetur HONOS, ONUS, EMOLUMENTUM;

Præsentet, præsit (rectius, præcat), defendat, alatur egenus.

II. Ad Jura HONORIFICA sive HONOREM primo pertinet PRÆSENTATIO, sive NOMINATIO. *Novell.* 123. c. 18. c. 32. *caus.* 16. q. 7. & c. *ult. X. de Jur. Patr.* cujus descriptio *supra* c. 3. § 6. jam posita est. Cum autem ea essentialia Patroni negotium, fructusque Juris Patronatus primarius sit; adeò quidem, ut institutio parochi sine prævia patroni præsentatione ab Episcopo vel Domino territorij facta, irrita pronuncietur, in c. 32. *caus.* 16. q. 7. paulò distinctius de ea agendum est. Quod ut ordine aliquo procedat, breviter exponam (1.) Quis præsentari debeat aut possit. (2.) Cui. (3.) Intra quod tempus. (4.) Quomodo præsentatio fieri possit vel debeat. (5.) Quis præsentationis effectus sit.

III. Præsentari debet Parochus sive minister ecclesiæ, qui sacro ministerio obeundo idoneus est. *Novell.* 57. c. 2. *Nov.* 123. c. 1. c. 12. & c. 18. & c. 2. *dist.* 23. c. 7. *X. de Elect.* c. 29. *X. de Præbend.* Dotes, quibus ejus *incumbens* æstimatur, recensentur à Paulo, 1. *Tim.* c. 3. & *Tit.* c. 1. & latius explicantur à Brunne-
mann. *de Jur. Eccl.* l. 1. c. 5. § 9. & *seqq.* ibique Stryk. *in Not.* add. III. D. Joh. Sam. Stryk. *de Jur. Lic. sed. non Hon.* c. 3. n. 94. & *seqq.* Imprimis autem ad id ut idoneus dici possit minister, requiritur, ut ei religioni sit addictus, quam ecclesia, cui præficiendus est, salutarem esse credit. Ex quo consequitur, si Patronus non sit *inobedientis*, sed diversam fidei confessionem foveat, eum non suæ religionis candidatum, sed talem debere præsentare parochum, qui eandem cum ecclesia patronata fidem profiretur. v. Steph. *de Jur. Patr.* p. 1. c. 20. Finkelthaus. *de Jur. Patr.* c. 6. n. 73. & *seqq.* Reinking. *de Reg. S. & E.* 3. 1. 9. n. 21. & *seqq.* Knipfchild. *de Jur. Civ. Imper.* 2, 3. 173. & *seqq.* Bruñeman. *de Jur. Eccl.* 2, 8, 19. ibique Stryk. *not. Hert. in Dissert. de Superior. Territor.* § 13. n. 5. p. n. 222. Atque ita quoque

quoque judicatum est in *Camera Imperiali*; prout id testantur *Præjudicia* apud Just. Springer. *de Pac. Relig. c. 11.* & Gylmann. *in Symphor. Supplic. p. 258.* Ita etiam in *praxi* dudum observatum fuit; cujus rei fidem faciunt exempla, quæ adducit Knipschild. *d.l. n. 175.* Ita denique huic rei plenissimè cautum est in *Instr. Pac. Cæs. Suec.* tum generaliter *Art. 5. § 14. in f.* ubi dicitur, *Jus Patronatus non tribuere jus reformandi*; tum maxime *Art. 7. § 1.* ubi disertè sancitum est: *Si princeps vel alicujus ecclesie patronus ad alterius partis sacra transierit, fas ei non esse, Juris Patronatus prætextu subditis ministros alterius confessionis obrudere*; & quæ porro sequuntur, à me jam allegata *suprà c. 3. § 4. p. 30. in pr.* ubi etiam indicavi, quomodo in *Helvetia* nostra huic rei provisum sit. Hanc tamen controversiam in *Batavia* propter Nobilitatem, quæ plerumque diversæ religionis partes fovet, frequentes movere lites, tradit Anton. Thylius in *Memorabil. Rerumpubl. c. 13. pag. 374, 375.*

IV. Sicut autem Patronus idoneum præsentare tenetur: ita potest præsentare *quemcunque voluerit*, dummodò idoneus sit; imò proprium quoque filium. *c. 25. X. de Præbend.* Finkelth. *de Jur. Patr. c. 6. n. 31, 32.* ubi plures Dd. allegat, qui hanc sententiam in foro obtinere testantur: multo magis igitur remotiores consanguineos præsentare ipsi licebit. Et hæc quidem ita se habent in *Jure Patronatus Libero* sive *Absoluto*: si verò id *Limitatum* sit, Patronus ad pastorem idoneum ex certâ illâ regione, natione, civitate, aut familiâ oriundum; vel illâ qualitate præditum, ad quam ipse aut conventionem, aut lege, aut consuetudine adstrictus est; vel unum ex iis qui ipsi nominati fuerunt, præsentare tenetur: ut *suprà c. 4. § 4.* pluribus exposui. Seipsum autem nunquam præsentare potest; quantumcunque idoneus sit. *c. 26. X. de Jur. Patr. Brunnem. de Jur. Eccl. 2, 8, 17.* ibique Stryk. *not.* Porro quaeritur, *An patronus etiam Ludimagistros, Cantores sive Organedos, Aedituos sive Custodes*, qui omnes nomine ministrorum ecclesiæ latè sumto, *Kirchen Bediente* comprehenduntur, *præsentare possit?* Id quod negandum esse puto: tum quod *Jus Canonicum* ei *Parochum* tantum præsentare permittit, de minoribus autem hisce ministris silet; tum quod *Jus Patronatus* species

Species est Servitutis, quæ strictò interpretandæ, nec temerè extendendæ sunt. Nisi patronus simul etiam Scholam fundaverit; hoc enim casu utique Præceptores quoque præsentare ipsi licebit: vel nisi aliàs consuetudo in contrarium obtineat; quod de Saxonia testatur Carpzov. in *Jur. Conf. l. 1. def. 14. & def. 73. & seqq.*

V. Parochus autem apud Pontificios quidem præsentandus est *Episcopo* loci ordinario, in cujus diocesi ecclesia patronata sita est. *c. 32. caus. 16. q. 7. c. 6. X. de His quæ fiunt à prælat. c. 24. X. de Jur. Patr. Concil. Trid. sess. 14. de reform. c. 13.* Apud Evangelicos autem, vel ipsi *Domino* territorij sive *Magistratui* (sic Pastores *Scaphusiani* earum parochiarum in ditione Tigurinâ, quarum Patronus Ampl. Magistratus Scaphusianus est, coram *Senatu Tigurino* se præsentant); vel ejus *Consistorio*, aut alij cui Dominus territorij hanc potestatem delegavit. *Finckelth. de J. P. c. 6. n. 5. Brunnem. de J. E. 1, 5, 17. Tempus*, intra quod præsentatio fieri debet, si Patronus *Laicus* sit, est *quatuor* mensium, *c. 3. in f. & c. 27. X. de Jur. Patr. & c. un. eod. in 6^o.* in *Clerico* autem, est *sex* mensium *c. 22. X. eod. & d. c. un. eod. in 6^o.* Quod tempus ratione initij est *utile*, hoc est, demùm à die notitiæ currit, ex quo scilicet patronus cognovit, parochum obiisse adeòque beneficium vacare. *c. 5. in f. X. de Concess. præbend. & c. 3. X. de Suppl. negl. præl.* unde Episcopus vel territorij Dominus vacationem ejus patrono insinuare debet. *Steph. de Jur. Patr. c. 20. p. m. 113.* sed ratione progressus tempus hoc est *continuum*, id est, singula momenta, etiam dies feriati, patrono currunt. *Steph. d. l.* Ratio, quare Patronus *Laicus* præsentatione citius quàm *Clericus* defungi debet, hæc à *Lancellot. in J. J. Can. 1, 28, 3. Gloss. in c. un. de Jur. Patr. in 6^o.* & *DD.* communiter datur, quia ipsi intereà *variare*, hoc est, re integrâ alium præsentare permittitur: quod cum *Clericis*, tanquam iis indecorum, non liceat, longius spatium his concessum est: quam tamen rationem minus firmam esse ostendit *Ziegler. ad Lancellot. d. l. not. 4.* Vera autem ratio, quod *Laicus* jure pontificio breviori tempore constringitur, procul dubio hæc est, ut jus eligendi eo citius ad Episcopum redeat. *Stryk. in Not. ad Bruñem. de J. E. 2, 8, 3. Tit. in Spec. Jur. Eccl.*

l. i. p. 7. § 13, 14. In Electoratu tamen *Saxonia*, etiam Laicus Patronus sex mensium spatium habet. Cujus rei ratio hæc est, quod ibi Pastoris defuncti viduæ & liberis speciali beneficio indultum est, ut dimidium adhuc annum post ejus mortem in domo parochiali habitent, dimidiâque annui salarij parte fruantur; vicinis interim pastoribus defuncti vicem gerere, actusque ministerij exercere obstrictis: quod beneficium vulgo *dimidius annus gratia*, das halbe Gnaden-Jahr / appellari solet. Finkelth. *de Jur. Patr. c. 6. n. 93.* Carpzov. *in Jur. Conf. l. 1. def. 15. n. 7. & def. 183.* Brunnemañ. *de Jur. Eccl. l. 2. c. 5. § 12, 17.* Contra in *Hassia* duo tantum menses Patrono ad præsentandum conceduntur. Ord. Eccl. Hass. § *Und im fall* / apud Reink. *de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 74.* Quodsi autem patronus in præsentando negligens fuerit, nec intra tempus legitimum præsentaverit, Episcopus vel Dominus territorij eo elapso parochum idoneum ex officio pro hæc vice instituire potest. *c. 27. X. de Jur. Patr. Reink. d. l. n. 20. & 36.* Carpzov. *d. def. 15. n. 9. & seqq.*

VI. Nunc de *Modo* præsentandi nonnulla dicenda sunt. Et primò quidem, Patronus parochum Episcopo aut territorij domino vel ipse coràm, vel per literas, vel per nuncium præsentare potest. *c. 6. X. de His que fiunt à prælat.* Finkelth. *de Jur. Patr. c. 6. n. 144.* Deinde præsentatio nonnisi vacante parochia sive ministerio fieri debet. *c. 8. X. de Jur. Patr.* ut *supra c. 2. § 8.* pluribus exposui. Hoc autem *limitationem* recipit in casu necessitatis. Quodsi enim parochus adhuc quidem superstes, sed decrepitus sive emeritus sit, vel morbo continuo laboret, ita ut muneri parochiali obeundo minus idoneus & sufficiens reperiatur; tunc patronus *Substitutum* sive *Adjunctum* in partem curarum vocare atque præsentare, eique de futura successione spem facere potest. Finkelth. *de J. P. c. 6. n. 128.* Carpz. *in Jur. Conf. l. 1. def. 16. n. 8. & def. 152.* Brunnem. *de J. E. 2, 8, 20.* ibique Stryk. *not.* Quod tamen non ubique procedit. Sic in urbe & ditione *Scaphusiana* talis Pastor, si quidem Diaconum non habeat (hoc enim casu iste vices ejus gerere tenetur) sibi suæque Ecclesiæ de vicario idoneo, qui ad Ministerium jam ordinatus sit, ipse suo sumtu prospicere debet: qui

qui tamen illo mortuo, nihilo plus juris aut spei, quàm alius, ad successionem habet. Porro requiritur, ut Parochus vocatus Episcopo vel Domino territorij præsens coram sistatur. *c. 32. caus. 16. q. 7.* ut ipsa Præsentationis vox innuit, & ego jam *supra c. 3. § 6.* dicere occupavi: add. Finkelthaus. *de J. P. c. 6. n. 138.* Attamen experientia docet, etiam hîc quibusdam in locis dispensari posse & solere; ita ut Parochus ipse sese Episcopo præsentem sistere non semper necesse habeat, præsertim si diversæ Religionis sit.

VII. Denique præsentatio parochi fieri debet *gratis*, hoc est, non interveniente pecunia vel munere; sive, ut eleganter ait *Novell. 123. c. 2. § 1. non per suffragium auri*; id quod Justinianus Imp. majore cum emphasi in *Nov. 137. c. 2.* ita exprimit: *Neque per dationem, neque promissionem, vel amicitiam, vel gratiam, vel aliam quamcunque affectionem.* Etenim nec Patrono nec Episcopo pro Præsentatione aut Ordinatione pecuniam in vim corruptelæ accipere licet. vid. *c. 1. & seqq. caus. 1. q. 3.* Insignis quoque est text, in *l. 31. C. de Episc. & Cler.* (quam Dd. *auream & sanctitatis plenam* vocant, v. Finkelth. *de Jur. Patr. c. 6. n. 132.*) ubi Imperator præcipit: *Nemo gradum sacerdotij pretij venalitate mercetur; quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, aestimetur.* &c. Cui geminus est alter text. in *Nov. 6. c. 1 § 5.* ubi idem ait: *Sed neque pecuniis oportere emere sacerdotium ei permittimus; solum verò eum respicere Domini Dei culturam volumus, & non plurimis humanis cogitationibus distrahi.* Hoc ipsum inprimis quoque in Anglia sancitum est: ibi enim Candidatis speciatim interdicitur, ne ipsi cum Patronis de beneficio vacante paciscantur, aut quicquam illis pro præsentatione dent vel promittant; adeò ut, antequam ab Episcopo confirmetur, speciale *Juramentum Simonia* hoc nomine præstare debeant. v. *L'Etat Present de la Gr. Bretagne, par M. Mège, à Amst. 1708. tom. 1. p. 2. ch. 11. p. 369, 370.* Scilicet omnis nundinatio munerum sacrorum *Simonia* crimen habetur. *c. 38. & c. 39. X. de Simon.* Quodsi quis objiciat, quod hodiè in *praxi* contra sanctissima hæc legum præcepta *Iliacos intra muros peccetur & extra*; ei ego cum Jcto ex *l. 12. ff. de Offic. præf.* respondeo: *Non spectandum esse, quid Romæ fiat,*

sed quid fieri debeat. Unde profecto vix probare possum illam consuetudinem quæ in Pomerania, Saxonia, aliisque locis recepta est; quæ candidatis non aliter aditus ad parochiam vacantem patet, quàm si viduam aut filiam pastoris defuncti in uxorem ducant: quasunque demùm rationes pro eâ afferat Finkelth. de J. P. c. 6. n. 38. & seqq. Matth. Steph. de Jurisdic. l. 3. p. 1. c. 19. n. 26. & seqq. Carpzov. in Jurispr. Consist. l. 1. def. 42. aliique *ibi alleg.* quam consuetudinem eo majore cum fiducia reprehendere audeo, quod ea à Joh. Friderico Duce Brunsvic. & Luneburg. peculiari Ordinatione, anno 1675. d. 6. May. damnata, & ab Ampl. Fac. Jur. Hallens. in Responso, anno 1701. improbata fuerit: quod utrumque legi potest apud Cl. D. Bohmer. in Tract. de Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. post. § 22. Eandem quoque nuperrimè Doctiss. pariter atque Piiiss. Jctus, Joh. Sam. Stryk. in Tract. de Jur. Lic. sed. non Hon. c. 3. n. 104, 105. & seqq. in eorum classem retulit, quæ licita quidem, sed non honesta sunt.

VIII. Præsentationis ita, ut hætenus fuit expositum, factæ Effectus hic est, quod Episcopus vel Dominus territorij eum qui præsentatus est, si quidem idoneus sit, approbare atque confirmare teneatur. c. 32. caus. 16. q. 7. c. 5. & c. 29. X. de Jur. Patr. Si verò non idoneus fuerit, eum reprobare atque rejicere possit. Hert. dissert. de Superior. Territor. § 13. n. 5. p. m. 222. Finkelth. de Jur. Patr. c. 6. n. 77. Ord. Eccl. Hass. § Wird aber. apud Reink. de R. S. & E. 3, 1, 9. n. 74. Sic etiam Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 9. in m. decrevit: *Liceat episcopo, præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere.* Hoc tamen non nisi justis gravibusque de causis fieri potest: putà, si in ejus doctrinâ vel vitâ aliquid reperiatur, propter quod is ad munus istud obeundum inhabilis & indignus haberi possit; de quo tamen non ex meris suspicionibus conjecturis vel rumoribus, sed ex ipsis rerum testimoniis atque experimentis constare debet. Quâ de re judicium ad Episcopum vel territorij Dominum pertinebit, si quidem is ejusdem cum ecclesiâ patronatâ religionis sit; qui tunc vel ipsemet, vel potius per Consistorium suum eâ de re judicare poterit. Huc apprimè faciunt verba in antiquâ Ordinat. Eccles. Scaphus. supra c. 3. § 11,



§ 11. laudatā, quæ simplicitatem pariter atque sinceritatem illorum temporum spirant: Was die Lehen-Herren (i. e. Patroni) die Pfarz selber verleihen / mag das mit dem Verbehalt beschehen wann der Erwehlt Einem Ehrsamem Rast zu Schaffhausen gefalle / einen solchen Dienst zu verwalten. Derhalben Unsere Gnädige Herren ihnen hierinnen ihre Rechtisame vorbehalten / daß der so vom Lehen-Herren erwehlt wird / Ihnen wie bräuchig fürgestellet werde. Dann keine Oberkeit ihren Underthanen einen Pfarver zulast / der nicht ihres Fuegs. Datum sie auch keinen / der nicht ihres Glaubens und Religion / und an dessen Lehr und Leben etwas sondere künftliche Fehl und Mängel funden werden / zu solchem hohen und Geistlichen Ampt zu lassen. Sed quid si Episcopus vel Dominus territorii *diverse* ab ecclesia patronata *religionis* sit, anne is etiam de presentati aptitudine judicare poterit? Puto distinguendum esse inter aptitudinem ratione *doctrinae*, & ratione *vita*: ita, ut ille de aptitudine ad *docendum* judicare non debeat, utpote de qua nemo qui *diversæ* religionis est, idoneus judex esse potest; sed hæc in parte iudicio & approbationi ab ecclesiâ patronatâ, vel ab his qui eam representant, jam factâ stare teneatur. *Vitam* autem presentati, Episcopus vel territorii Dominus utique examinare potest, & si fontica quædam vitia in eo verè deprehendat, quæ patrono aut ecclesiæ patronatæ in illius examine ignorata vel non animadversa fuerunt; eum propterea recusare poterit: cum Pastorem etiam *ἀνὸς τῶν ἑξῆς* bonum testimonium habere oporteat. 1. *Tim.* 3:7. Quod si autem adversus presentatum nihil verè excipi possit, Episcopus vel Dominus territorij eum omnino confirmare atque instituere tenetur. Reinking. *de Reg. S. & E.* 3, 1, 9. n. 19. nam alioquin, si confirmatio in mero & absoluto ejus arbitrio posita esset, jus Patroni facilè enervari, suoque effectu destitui posset.

IX. Deinde jus honorificum Patroni in eo quoque sese exerit, quod ille etiam actui INVESTITURÆ, quo parochus ab ipso presentatus in actualem muneris sui possessionem immittitur, *interesse* potest. Quamvis enim Investitura ad Jus Episcopale pertineat, adeoque apud Pontificios ab Episcopo, apud Evangelicos à Domino territorij ejusve delegatis, una cum primario illius districtus Pastore (quocunque titulo is

appelletur), adjuncto adhuc uno alterove, peragi solet : ad eam tamen *Patronus* quoque, honoris causâ requiri sive invitari, eique vel ipse vel per delegatos adesse debet. Carpzov. *in Jur. Conf. l. 1. def. 55.* Schilter. *in J. J. Can. 1, 16, 8.* Quod quidem, ubi & patronus & episcopus iisdem sacris addicti sunt, usu ita observatur : at ubi hi diversâ sunt religionis, Patrono quidem id liberum erit ; qui tamen huic actui ejusque ceremoniis, utpote à sua religione alienis, vix interesse volet : uti id in nostrâ quoque *Helvetiâ* animadvertere licet. *Sumtus* autem, qui ad celebrandam Investituram requiruntur, regulariter ex *Ærario Ecclesiastico* illius loci, ubi ea fit, suppeditandi sunt ; neque aut pastor investitus, aut patronus quâ talis, iis onerandus est. Carpz. *in J. C. l. 1. def. 56.* nisi hic simul Decimas ex parochia patronata percipiat, ut paulo inferiùs pluribus dicitur ; aut conventio vel mos antiquus ita ferat.

X. Tertium jus honorificum Patrono debitum, consistit in PRÆCEDENTIA. Ea in *c. 26. & 27. caus. 16. q. 7.* vocatur *Processionis aditus* ; & in *c. 25. X. de Jur. Patr. Honor processionis.* Sed quid per eum propriè intelligatur, ego quidem divinare vix possum, ipsorumque etiam Canonistarum sententiâ variant. Alij enim ita explicant, quòd Clerus Patrono processionaliter (ut loquuntur) obviam ire teneatur. Alij ipsam Præsentationem eo significari existimant. Alij denique per eum intelligunt primum locum, qui Patrono à Clericis ecclesiâ Patronatâ concedendus sit. vid. *Gloss. in c. Pia mentis. 26. caus. 16. q. 7.* Finkelth. *de Jur. Patr. c. 6. n. 147.* Ziegler. *ad Laucellot. 1, 28, 20.* Stryk. *in Not. ad Brunnem. 2, 8, 25.* Sed nulla ex his interpretationibus cum sensu Juris Canonici ad amissim convenire videtur. In illis enim *capp. 26. & 27.* dicitur, hunc processionis aditum omnibus Christianis in commune deberi. Enimverò Consuetudo, quâ optima non Legum tantum sed & Canonum interpret est, Patrono hoc nomine *Præcedentiam*, hoc est, *Præcedentiam* seu *Locum digniorem* in actibus publicis & solemnibus tribuit : id quod etiam honestas naturalis suadet. v. præter Autores modo alleg. Carpzov. *in Jur. Conf. l. 1. def. 55. n. 10.* De ea tamen sæpenumero controversiâ oriri solent ; uti apparet ex Stryk, *Not. ad Brunnem. d. l.*

d. l. & Respons. *Facult. Jurid.* de anno 1675. quod ibi subjungitur. Quod autem speciatim ad *Patronum extraneum* attinet; non puto, ei præcedentiam vel προεδρίαν præ Episcopo aut territorij Domino, ejusve delegatis, competere: nisi ille forsan alioquin isto potentior atque honoratior sit.

XI. Porrò id quoque ad Jus Honorificum Patronorum spectat, quod in templis NOMINA sua apponere & INSIGNIA suspensa vel depicta habere licet, v. *Sebast. Feschei*, Antecessoris quondam in hac Academia, ob solidam Juris scientiam & exquisitam omnis Antiquitatis cognitionem Celebrissimi, insignem planè *Dissert. Inaug. de Insign. eorumque Jur.* c. 13. n. 3. Mager. *de Adv. Arm.* c. 18. n. 119. & seqq. Finkelth, *de Jur. Patr.* c. 6. n. 153. Reink. *de R. S. & E.* 3, 1, 9. n. 63. Deinde quoties PRECES PUBLICÆ pro salute Principis de suggestu ecclesiæ patronatæ nuncupantur, Patroni quoque mentio fieri debet. Carpov. *in Jur. Conf.* l. 2. def. 259. & 260. Finkelth, *de J. P. c. 6. n. 154.* Brunnemann. *de J. E.* 2, 8, 25. atque ita año 1669. se respondisse refert Ziegler. *de Jur. Maj.* 1, 17, 4. Hoc tamen non ubique observatur: sanè non in iis locis, ubi Patronus diversæ religionis est. Neque etiam in Ecclesiis *Helveticæ Reformateæ*, preces pro Patrono, quamvis προπίσω, fieri, (nisi forsan iste simul dominus jurisdictionis sit) resciscere potui. Æquum etiam est, ut Patrono (maximè si is in Parochiâ patronatâ ejusve viciniâ habitet, & sacra in illâ Ecclesiâ frequentet) EXEDRAS sive SUBSELLIA pro se & domesticis suis in commodiore templi parte habere liceat. Menoch. *de Rec. poss. Rem.* 15. n. 46. Finkelth, *de J. P. c. 6. n. 152.* Steph. *de J. P. c. 24. n. 12, 13.* Reink. *de R. S. & E.* 3, 1, 9. n. 63. Denique ad honorem Patroni refertur quoque JUS SEPULTURÆ in ecclesiâ patronatâ. Jure quidem Canonico id ad Episcopos spectat. *c. un. caus.* 13. q. 1. c. 19. *caus.* 13. q. 2. c. 9. *X. de Simon. Barbos.* *de Jur. Eccl.* 2, 10, 9. ad quos quâ occasione id pervenerit, docet Stryk. *in Us. mod.* ff. 11, 6, 4. Moribus verò nodiernis id Patronis competit, atque ab his impetrandum est. v. Finkelth, *de J. P. c. 6. n. 149.* & *tr. de Sepult.* concl. 4. Carpov. *in J. C. l. 2. def.* 390. & *l. 1. Resp.* 86. Stryk. *in Not. ad Brunnem.* *de J. E.* 2, 2, 12. & *Us. mod.* ff. l. 11, t. 7. § 6, 11, & t. 8, § 2. Olim

Olim quoque in *Gallia* Patronus Jus Sepulturæ in ecclesiis patronatis habuisse, argumento est, quod cum religio reformata à Clero affligeretur atque premeretur, Patronis reformatis etiam de eo controversia mota fuit, v. *Histoire de l'Edit de Nant. tom. I. l. 4. p. 162. & 431.* Sed & hic respiciendum erit, quid in quovis loco usu receptum sit; cum mores & consuetudines hac quoque in parte variare deprehendantur.

XII. EMOLUMENTUM sive JUS UTILE Patroni primò in eo consistit, quòd CENSUM vel aliud commodum ex ecclesiæ redditibus quotannis percipit; si scilicet tale quid ab initio sibi reservaverit. Potest enim patronus in fundatione vel dotatione ecclesiæ stipulari, ut certa pensio annua ex ejus redditibus sibi solvatur. *c. 23. X. de Jur. Patr. c. 8. X. de Cens. vel, ut redditus beneficii vacantis, aut omnes aut pro parte, ad se pertineant. c. 13. de Elect. in 6^{to}.* aliaque similia pacta & conditiones cum consensu Episcopi adjicere. v. *Steph. de Jur. Patr. p. 1. c. 29. per tot. Ziegler. de Dot. Eccl. c. 12. § 15. & seqq.* ubi nonnulla exempla ejusmodi patronatuum censualium afferuntur. Tales autem reservationes à patronis eo potissimum sine factæ fuisse videntur, ut beneficentiæ atque liberalitatis suæ memoria identidem renovetur, atque in ecclesia perpetuetur. Quo desiderio inprimis tenentur, quorum animos occupavit persuasio de salute æterna per superstitem preces obtinenda, v. *Ziegler. d. l. §. 18.*

XIII. Deinde illud quoque in emolumentis patroni ponitur, quòd si ad inopiam vergere incipiat, ipse unà cum filiis suis ab ecclesia ALI debet. *c. 29. & 30. caus. 16. q. 7. & c. 25. X. de Jur. Patr. Brunneimanni. de J. E. 2, 8, 23. Alimento-*rum autem sive victus nomine omnia continentur, quæ ad vivendum homini necessaria sunt. *l. 42. ff. de Verb. Sign. putà Esculenta, Potulenta, Vestimenta, Habitatio. l. 6. & ult. ff. de Alim. leg.* Quæ omnia Patrono ad paupertatem redactò ab ecclesia præstanda sunt. *Barbos. ad d. c. 25. X. de Jur. Patr. Stryk. ad Brunnem. d. § 23.* imò etiam Funeris impensas ab ea faciendas esse, asserit *Stryk. in Us. mod. n. 11, 7, 49.* Hæc tamen fieri debent *modeste*, ut loquitur *d. c. 25.* hoc est, habità ratione facultatum ecclesiæ, ne & ipsa egeat. *Coler. de Aliment. l. 1. c. 13. n. 84.*

n. 84. alique Dd. alleg. à Stryk. *d. l.* Quanta autem debeat esse patroni inopia, variæ sunt Doctorum opiniones, ut videri potest apud Finkelth. *de J. P. c. 6. n. 168. & seqq.* Verior mihi videtur eorum sententia, qui statuunt, rem istam iudicis arbitrio relinquendam esse. Quodsi *universitas* aliqua Jus Patronatus habeat, Alimenta hæc singulis ejus personis ad egestatem prolapsis non debentur. arg. *l. 7. § 1. ff. Quod cujusq. univ. nom.* Cæterum Patronos, præsertim extraneos, rarissime ad tantam inopiam redigi continget, ut flebili hoc beneficio uti cogantur.

XIV. Est præterea aliud paulo pinguius emolumentum, quod Patronis etiam extraneis passim obtingit. Observatur scilicet, eos plerumque simul DECIMAS ex illa parochia patronata, in territorio alieno sita, percipere; cum hoc tamen onere, ut ex iis certum salarium parochio præbere, & domum parochialem, interdum quoque templum vel totum vel ejus partem sartam tectam conservare, aut etiam sumtus investituræ suppeditare ipsis incumbat. Cujus rei plurima exempla in ipsa *Helvetia* nostra, ac speciatim etiam in Civitate hac *Basileensi*, & *Scaphusiana*, reperiuntur, ubi Patroni extranei plerumque etiam Decimas habent. Testatur id quoque Vir, dum viveret, divini humanique juris Consultissimus, D. Seb. Fesch. in *Diss. de Decimis*, Basil. ann. 1689. habitâ, *cap. 8. n. 7.* ubi ait: *Multis in locis receptum est, ut Ecclesiarum Patroni Decimam colligant, & vicissim parochio loci, vel certam ejus portionem, vel pecunie summam, vel aliud quid loco salarii assignent; interdum & cum eo, priusquam ad ministerium sacrum vocetur, de Salario paciscantur, quod præter usum quotidianum docet Stypmañ. de Salar. Cleric. c. 7. n. 57. quanquam pactum hoc plerumque cum aliqua paciscentium turpitudine conjunctum sit, adeoque præset salarium perpetuum pastoribus omnibus pendendum definire. Quanquam autem Patroni plerumque etiam Decimas habere reperiantur; probè tamen tenendum est, Jus Patronatus & Jus Decimarum per se & sua naturâ Jura planè diversa ac separata esse: ita ut neque Jus Decimarum vi Juris Patronatus, nec Jus Patronatus vi Juris Decimarum competat; quâ de re *suprà c. 4. § 7.* nonnihil dixi. Hinc experientia docet, passim esse Patronos, qui tamen Decimas non habent; & vicissim, esse qui Decimas ha-*

O

bent,

bent, quibus tamen Jus Patronatûs non competit. Nec desunt exempla, etiam in ipsa Patriâ meâ, ubi Decimæ inter quosdam communes sunt; quorum unus solus Jus Patronatûs in illâ parochiâ in solidum habet; alter verò, qui alteram decimarum partem percipit, de eo non participat. Unde etiam colligere licet, illas præstationes, quas Patrono, qui simul Decimarum est, incumbere modo dixi, non Juri Patronatûs, sed Juri Decimarum adhaerere.

XV. Pergo ad JUS ONEROSUM sive ONUS Patroni, quod consistit in DEFENSIONE, quam is ecclesiæ patronatæ ejusque personis & rebus præstare debet. *c. 31. & 32. caus. 16. q. 7. Steph. de J. P. p. 1. c. 25. per tot. Finkelth. de J. P. c. 6. n. 156. & seqq. Consil. Argentor. vol. 2. conf. 87. n. 48. & seqq.* Equidem cujusque ecclesiæ Defensio primò & primariò ad Principem sive Dominum territorij pertinet: ea tamen etiam Patrono *secundariò* & quasi in *subsidiùm* incumbit; idque tunc maximè, cum dominus territorij ecclesiam illam tueri aut non potest, quòd non satis potens sit; aut non vult, quòd forsitan diversæ religionis, atque adeò ei infestus sit. Hæc autem Defensio tum *personas* spectat, tum *res* ecclesiæ. *Personæ* sunt tum ipse Parochus, tum Ecclesia sive Parochiani. Quòd si igitur Parochus in suâ functione, aut Ecclesia in exercitio religionis suæ turbetur, impediatur, aut opprimatur, Patroni est, eos contra vim injustam pro viribus defendere atque tueri. Hoc tamen Patronus non suis impensis facere tenetur: sed æquum est, ut ipsa ecclesia, cujus gratiâ defensio ista suscipitur, sumtus toleret. *c. 45. caus. 12. q. 2. c. 16. in f. X. de Præscript. Finkelth. de Jur. Patr. c. 6. n. 158.* Hic speciatim quæri potest. *An Patronus extraneus ecclesiam patronatam etiam contra ipsum principem sive territorij dominum, cui ea subiecta est, vi defendere debeat, vel saltem jure possit?* Et si quidem Patronus sit *privatus*, ad id non tenetur; cum hoc non in ejus viribus sit. Talis igitur faciet quantum poterit; nempe apud dominum territorij tum ipsemet, tum per alios quoque (v. g. per suum principem vel magistratum) *intercedet*; vel si hoc nihil prosit, & ille territorij dominus superiorem agnoscat, *querelam* atque actionem apud hunc instituet. Si verò Patronus talis *princeps* vel magi-

magistratus sit, qui superiorem non habeat, & neque intercessione neque querela quicquam proficere queat, *Repressalius* uti poterit. *Bellum* autem propterea suscipere non est obligatus; cum hoc remedium nimis grave sit atque periculosum, quam ut sola Patroni qualitas eum ad id obstringat. Quodsi tamen Patronus id ultrò facere velit, utique suo jure id ei licebit; nec hujus belli causa injusta erit censenda: maxime si religionis libertas atque securitas ecclesie patronata, legibus aut pactis nitatur, adeoque manifesta ei injuria fiat. Si enim princeps pro aliis injustè oppressis, qui neque ejus subditi, neque clientes, neque socij fœderati, neque etiam amici sunt, ob solam illam communem hominum inter se cognationem, bellum justè suscipere potest; ut *Grot. de J. B. & P. 2, 25, 6.* *Pufend. de J. N. & G. 8, 6, 14, & de Offic. Hom. & Civ. 2, 16, 11.* asserunt: quanto magis id Patrono pro ecclesia patronata facere licebit, cum quâ ei specialis insuper nexus intercedit, qui aliquod patrociniij & clientelæ instar habet? Nec obstat, quod hi alterius subditi sint: nam & pro his, à manifestâ principis sui injuriâ & oppressione vindicandis, alium principem arma justè sumere posse, etiam tunc cum id ipsis subditis facere non liceret, docet *Grot. de J. B. & P. d. cap. 25. § 8.* Præterea Patronus etiam *Res*, id est, *bona & redditus ecclesie* quæ in ipsius patrocinio est, tueri atque defendere debet; eorum curam gerendo, atque providendo, ne dissipentur, aut in usus profanos convertantur, sed ut conserventur & in legitimos usus impendantur; quo videlicet parochus ab ipso præsentatus annuum salarium, ad sui suorumque sustentationem, ex iis ritè percipiat, aliæque expensæ ecclesiasticæ commodè fieri possint; nec non ut ipse Patronus in casu necessitatis inde aliquid queat. *Weber. de Jur. Patr. § 37.* *Brunnemañ. de Jur. Eccl. 2, 8, 24.* Quamobrem etiam Patronus interesse potest redditioni rationum, quæ Episcopo vel ei quem Dominus territorij ad id constituit, fieri debet. *Carpzov. in Jurispr. Consil. l. 2. def. 316. n. 9, 10.* Imò si Patronus deprehendat, parochum, aliosve administratores in administratione bonorum ecclesiasticorum malè versari, eos non solum admonere & increpare, verum etiam ad Episcopum vel Consistorium deferre potest, *c. 31. caus. 16. q. 7.* *Ziegler. de Dot. Eccl.*

Eccl. c. 12. n. 19. Quodsi bona ecclesie casu aliquo, ex gr. injuria belli, damnata sint, ita ut ad solvenda parochorum salaria non amplius sufficiant, Patronus ea ex suo patrimonio supplere non est obligatus. Stryk. in *Not. ad Brunnem.* 2, 8, 24. ubi id Responso *Facult. Jurid.* confirmat.

XVI. Quæri hoc loco potest, *An Patronus salarium Parocho à se præsentato præbere, ædes sacras & parochiales rescicere, pauperes sustentare, aliosve sumtus pro ecclesiâ patronatâ tolerare, ex suis facultatibus sive in totum sive pro parte teneatur?* Id quod de nudo Patrono quatenus tali, & qui decimas ex illa parochiâ non percipit, regulariter negandum est. Nullibi enim in Jure Canonico hujusmodi onus Patrono impositum legitur: neque sanè æquum esset, eum ultra foundationem & dotationem à se, vel ab eo cui successit, jam factam amplius gravari. Nam quod in Concil. Trid. *Sess. 21. de Reform. c. 7.* dicitur, patronos certis casibus ad ecclesiarum refectionem & instaurationem cogendos esse; id de iis tantum, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, intelligendum esse, ex his ipsis verbis quæ mox subjiciuntur, & quæ non solum ad alios, sed etiam ad patronos referenda esse existimo, satis clarè colligitur. add. *Ertel. Von der Nidern Gerichtsbarkeit. c. 8. obs. 4.* ibique alleg. *Paul. Layman. l. 4. c. 13. n. 10.* alique. Enimverò illa, quæ dixi, omnia ex *Ecclesiæ Dote*, id est, bonis atque redditibus fieri debent. Hinc olim bona & redditus Ecclesiarum, inprimis autem Decimæ, in quatuor partes dividebantur: quarum una clero, id est, parochis aliisque ecclesiarum ministris sustentandis; altera fabricæ ecclesiæ, hoc est, ædi sacræ sive templo rescicendo & reparando; tertia pauperibus indigenis alendis; quarta episcopo (quæ inde quarta episcopalis dicta; quam tamen iste non in suos usus convertere, sed in peregrinos pauperes, exules, captivos erogare debebat) assignata fuit, *c. 23. & seqq. caus. 12. q. 2.* vid. *Seb. Fesch. dissert. de Jur. Decim. c. 11. n. 5. & seqq. & n. 19.* Werndele *Tractat vom Zehend-Recht. l. 2. c. 9. pag. 137.* (editionis novissimæ *Noriberg. 1708.* Additionibus & Appendice multum locupletatæ à *Cassaro LaLio*; sub quo nomine latet *Vir Excell. Christianus Leonhardus Leuchtius, J. U. D. Comes Palat. Cæs. & incl. yta Reip. Noriberg. à consiliis*) nec non *Aurea Praxis des Zehends*

Behend-Rechte Christiani Hilderici Syringii (id est, Excell. Chri-
 stophori Henrici Schweseri, J. U. D. Hochfürstl. Brandenburg. Do-
 noltzbachischen Hoff- und Justitien-Raths) Noribergæ eodem
 anno 1708. edita, c. 9. § 2. pag. 322. Quodsi reditus Ecclesia-
 stici ad expensas illas, præsertim ad fabricas ecclesiasticas sive
 ædes sacras, Kirchen-Gebäude reficiendas non sufficient, *Parochi*
 sive ecclesiarum *Rectores* (ut vocantur) suppeditare debent,
 quantum ex fructibus beneficiorum sive præbendarum ipsis
 superest, c. 1. & 4. X. de Eccles. ædif. c. 22. caus. 16. q. 1. Concil.
 Trid. Sess. 21. de reform. c. 7. post m. Sin his quoque nihil aut
 parum superfit, sumtus à *Parochianis* velut in subsidium con-
 ferendos esse, constans Doctorum sententia est. Quâ de re la-
 titius videri possunt Paul. de Cittadin. de Jur. Patron. art. 5. n. 4.
 & seqq. Reink. de Reg. S. & E. 3, 1, 3. n. 17. Finkelth. de Jur.
 Patr. c. 4. n. 84. & seqq. Carpzov. in Jur. Consist. l. 2. def. 338,
 & 339. Brunnem. de Jur. Eccl. 2, 2, 8. & 2, 3, 1. ibique Stryk.
 not. Bohmer. de Jur. Paroch. sect. 6. c. 3. § 3. & seqq. Werndle d.
 tr. p. 140. & seqq. in Addit. & Schweser. in Prax. aur. Decim. d.
 c. 9. § 3. & 5. Specialius autem quaeritur, Annon reparatio fa-
 bricarum sive ædium ecclesiasticarum saltem ei incumbat, qui *De-*
cimæ in istâ parochiâ percipit, sive is Patronus sit sive alius, nec ta-
 men forensis seu extraneus? Sed & hoc eadem ratione, quod id
 nullibi in jure expressè cautum reperitur, negandum esse vi-
 detur: nisi decimator iste per pactum expressum, vel saltem
 tacitum (quod ex longâ consuetudine seu praxi præsumitur)
 ad illud, sive in totum sive pro parte aliquâ obligatus sit; de
 quo propterea ante omnia dispiciendum erit: vel, nisi fructus
 & proventus ipsius ecclesiæ ad id non sufficient. Concil. Trid.
 sess. 21. de reform. c. 7. Concil. Argentor. vol. 2. conf. 34. Werndle
 d. tr. pag. 141. & seqq. Schweser. in Prax. aur. Decim. d. c. 9. § 3.
 & 5. De ædium parochialium, Pfar- Hof- oder Pfar- Haus-
 refectioe idem ferè obtinere, ostendit Werndle d. tr. l. 2. c. 9.
 pag. 138. & in Addit. ib. p. 144, 145. in cujus etiam Appendice
 n. IX. pag. 218. ponitur Consilium Nicol. Everhardi, ex ipsius
 vol. 2. conf. 35. p. 543. quo deciditur, Eum qui ex parochiâ de-
 cimæ percipit, propterea ad refectioem ædium parochialium
 non obligari. Schweserus verbò in Prax. aur. decim. c. 9. § 6.

in m. ait: Daß die parochiani die Pfarr- und Schul-Häuser auf-
 bauen; der Pfarrer aber das Seinige erhalten solle/ so viel die mit-
 telmäßige Kosten betrifft: eamque in rem allegat Christin. *vol. 2.*
decis. Belg. 28. add. Brunnemañ. *de Jur. Eccl. 2, 3, 1.* Planè si
 quis forensis sive extraneus in eà parochia, cuius ipse neque epi-
 scopus, neque dominus territorij, neque patronus, neque pa-
 rochianus est, decimas percipiat; is propterea ad ædium eccle-
 siasticarum aut parochialium reparationem regulariter nihil
 conferre tenetur: quod disertè asseritur & probatur in Werndse
d. tr. pag. 143. in Addit. Cujus rei præcipua ratio hæc esse vi-
 detur, quod tales decimæ non amplius dici possint *fructus &*
proventus ad eam ecclesiam pertinentes, vel ex eà provenientes (de
 quibus Concil. Trid. *d. c. 7.* loquitur); cum ab eà prorsus
 alienatæ fuerint. Unde talis decimator forensis sive extraneus
 eodem jure censendus erit, quo ille forensis qui in alienâ pa-
 rochia prædia vel alia bona immobilia habet: quem itidem
 ad illud regulariter adstringi non debere, docet Carpov. *in*
Jur. Conf. l. 2. def. 349. n. 10. Schweser, *in Prax. aur. decim.*
c. 9. § 5. sub f. & plures ibi alleg. Cæterum ad Praxin in Patria
mea, ejusque vicinia, quod attinet: plerique Patroni simul etiam
 Decimas earumve partem in parochiis patronatis habent; ex
 quibus certa *salaria* Parochis præbere, *adesque parochiales,* saltem
 quoad necessària, reficere atque reparare tenentur: fabricas ve-
 rò sive *ades ecclesiasticas* non item; nisi quòd alicubi ex speciali
 pacto vel consuetudine ad aliquam earum partem (ex. gr. tur-
 rim vel tectum) conservandam aut reficiendam obligati sunt.
 Decimatores verò *forenses sive extranei* ad ædium ecclesiastica-
 rum aut parochialium reparationem nihil conferre tenentur.
 Denique *Pauperibus* parochiarum patronatarum ex bonis cu-
 jusvis ecclesiæ, aus dem Kirchen-Gut / nec non ex ssepe sive ele-
 mosyna singulis diebus dominicis in templo collectâ, *Sonn-*
tags-Säcklein / quandoque etiam velut in subsidium à Magi-
 stratu sive Domino territorij subvenitur: Patronus autem vel
 Decimator ad hoc obligatus non est; nisi quantum ex chari-
 tate Christianâ velit.

XVII. Et hæc sunt Jura specialia, quæ Patrono vi Ju-
 ris Patronatûs competunt. Ex quibus videre licet, *Jura quæ*
Episco-

Episcopalia vocantur, ad Jus Patronatûs non pertinere: sed hæc apud Pontificios penes Episcopum sunt; apud Evangelicos autem penes summum Imperantem sive Dominum territorii, vid. *suprà* c. 2. § 9. vel penes eos, quibus iste quædam ex illis aut delegavit, aut communicavit. Cùm enim Jus Patronatûs exceptionem à Jure Sacrorum sive Episcopali faciat, ut *suprà* c. 5. § 11. dictum fuit; palàm est, cætera omnia, quæ ad Jus Episcopale pertinent, eidem illibata manere, nec Patrono communicari: liquidem secundum notum illud axioma, *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*. Barbos, in *Thest. Jur. voc. Exceptio*, n. 27. quod Cicer. in *orat. pro Balb.* eleganter ita expressit: *Si exceptio facit ne liceat, ibi necesse est licere ubi non est exceptum*. Deinde quia speciatiim Jus Patronatûs in Territorio Alieno servitutis quædam species est, per ea quæ *suprà* c. 2. § 9. dixi: sequitur, hoc strictè interpretandum, neque ultra id, quod ei in Jure disertè tribuitur, extendendum esse. Jura autem illa Episcopalia à Canonistis ad tres classes sive capita revocari solent: ita nimirum, ut quædam sint *Ordinis*; quædam *Legis diocesanae*; quædam *Jurisdictionis episcopalis*, quæ etiam *Episcopalis audientia* dicitur; quibus alii quartum addunt, eorum videlicet, quæ *Status sive Dignitatis episcopalis* sunt: quorum omnium distinctiones, singulorumque partes speciales, videri possunt in Carpzov. *Jurispr. Consst.* l. 1. def. 4. Knipschild. *de Jur. Civ. Imp.* l. 3. c. 2. n. 185. & seqq. Brunnem. *de Jur. Eccl.* l. 1. c. 6. membr. 12. § 1, 5. ibique Stryk. *not.* Patrono igitur in ecclesiâ patronatâ non competit ipsum *Jus Religionis*, adeoque nec potestas eam mutandi vel reformandi: id quod etiam disertè sancitum est in *Instr. Pac. Osnabr. art. V. § 14. in f.* his verbis: *Jus Patronatûs non tribuit jus reformandi*. Deinde nec applicatio religionis ad homines, quæ *Cura animarum*, die *Seculæm Sorge* dicitur, ad Patronum pertinet: sed hæc proximè quidem & *immediatè* incumbit Parochis sive Ministris ecclesiarum; quorum officium est, parochianis mysteria Religionis Christianæ, quæ viam ad æternam felicitatem pandit, explicare, eosque ad veram pietatem *λόγῳ καὶ ἔργῳ*, hoc est, *ore & opere* adducere; unde etiam *ποιμένες τῶν ἐκκλησιῶν*, Pastores ecclesiarum, audiunt *Act. 20: 28. Eph. 4: 11.* istaque *Cura pastoralis* vocatur:
 ipsi

ipsi quoque ἀγρυπνεῖν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν, hoc est, *vigilare pro ani-*
mabus dicuntur Hebr. 13: 17. iisque disertè *regimen animarum*
 tribuitur. c. 44. X. de *Electio*. Cura verò animarum *mediata*,
 hoc est, Inspectio in illam curam ad Summum Imperantem
 seu Dominum Territorii pertinet; cuius est, providere, ut Pa-
 rochi munere suo rectè & fideliter fungantur, errores atque
 corruptelæ aliaque incommoda ex ecclesia tollantur, atque
 adèò salus parochianorum omni ratione promoveatur. Id
 quod Sacratissimus quoque Imperator *Justinianus* agnovit, cum
 in *Novell. 115. c. 3. sub f.* eleganter non minùs quàm piè ait: Εἰ
 ὑπὲρ τῶν κοσμητικῶν ἀπῶν μελεμάνωμεν, πόσω μάλλον, ὑπὲρ τῆς τῶν ψυχῶν
 σωτηρίας θεοπρονοητέτην φροντίδα δὲ συνεισφέρειν. quod Latinus In-
 pres ita vertit: *Si pro causis corporalibus cogitamus, quanto magis*
pro animarum salute providentia est nostræ sollicitudinis adhibenda.
 Rationem reddit idem Imp. in l. 21. C. de SS. Eccl. ubi ait, *Ani-*
mas hominum quibuscunque vasis vel vestimentis præferendas esse.
 Ex hoc consequitur, *Visitationem ecclesia patronatæ*, nec non in-
 quisitionem in Parochi jam instituti doctrinam & vitam, non
 Patrono, sed Episcopo vel Domino territorii competere; qui
 eam Superintendententi, vel Decano Capituli, vel alijs, pro cu-
 jusque loci consuetudine committere, aut istos in partem hu-
 jus curæ assumere solet. c. 10. & 11. *caus. 10. q. 1. & c. 15. X. de*
Offic. jud. ord. Steph. de Jur. Patr. c. 27. n. 7. Brunnem. de J. E. 1,
6, 12. § 8. & seqq. Præterea Patronus quæ talis nullam *Jurisdic-*
tionem, nec in Parochum ejusque domesticos nec in parochia-
 nos habet, sed eam Episcopo vel Consistorio relinquere debet.
 c. 13. X. de *Jur. Patr. c. 10. caus. 16. q. 7.* in temporalibus verò,
 sive civilibus, domino territorii sive magistratui loci: adèò
 ut indubitati juris regula sit, *Jus Patronatûs nihil commune*
cum Jurisdictione habere. v. *Steph. de Jurisdic. l. 3. p. 1. c. 17.*
n. 36. & de Jur. Patr. c. 3. n. 7. & c. 27. n. 8. Reinking. *de Reg.*
S. & E. 3, 1, 9. n. 26, 27. Finkelth. *de Jur. Patr. c. 2. n. 20. & c. 6.*
n. 75. Knipschild. *de Jur. Civ. Imp. l. 2. c. 3. n. 174.* Hayder. in
Eindeutsch. Ausführungs/ pag. 223, post m. & p. 225, post p. Ziegler.
de Jur. Maj. 1, 17, 3. & 4. id quod *Brunnemañ. speciali Con-*
fil. 142. pleniùs deduxit, ubi inprimis *vid. n. 40, 41. & 70-73.*
 Atque adèò Patronus vi *Juris Patronatûs* parochum nec influ-
 tuere,

tuere, nec destituere sive remove potest. c. 4. X. de Jur. Patr. Carpz. in *Juriſpr. Conſiſt.* l. 1. def. 20. n. 6. & l. 3. def. 110. per tot. & Dd. communiter: conf. *ſuprà cap. 2. § 6.* Moribus tamen hodiernis alicubi etiam jus removendi parochos Patronis conſeſſum eſt; prout id de *Marchia* teſtatur Stryk. in *Not. ad Bruñ. J. E.* 2, 8, 30. & de *Pomerania*, Stephan. de *Jur. Patr.* c. 28. n. 3. idemque Civitati quoque *Lipſienſi* competere affirmat Ziegler. de *Jur. Maj.* I, 18, 7. *Administratio* quoque *bonorum eccleſiaſti- corum*, & jus exigendi rationes, primariò non ad Patronum, ſed ad Episcopum vel Dominum territorii ſpectat. c. 2. & *ſeqq. cauſ.* 10. q. 1. Patroni tamen eſt providere, ne illa intervertantur aut illegitimis uſibus impendantur; ac propterea etiam redditioni rationum intereſſe poteſt, ut paulò ſuperiùs dixi. vid. *Händers ſündauſch. Zuſſführ.* pag. 225. poſt p. Attamen circa hoc quoque uſu obtinuit, ut quibusdam in locis ipſa etiam illorum *administratio* penes patronos ſit. Brunnem. de *Jur. Eccl.* I, 6, 12. § 18. Denique omnis reliqua *Eccleſiæ patronatæ gubernatio*, ad Episcopum ſive Dominum territorii, non ad Patronum pertinet. c. 1. cauſ. 16. q. 5. qui proinde illi ſe ingerere aut immiſcere non debet.

XVIII. Cæterùm omnia illa *Patroni Jura ſpecialia*, tum *activa*, id eſt, ea quæ ipſi competunt; tum *paſſiva*, id eſt, onera ſive præſtationes quæ ipſi incumbunt, non modò latiùs duci, verùm etiam habità ratione perſonarum in *varias claſſes* diſtribui poſſent. Cùm enim in *Jure Patronatùs* quatuor diverſæ perſonæ occurrant, nempe *Patronus, Episcopus* ejusve loco Dominus territorii, *Parochus, & Eccleſia patronata*: apparet, ex variâ iſtorum inter ſe relatione varia quoque inter eos jura & officia reſpectiva deduci poſſe: verbi gratià, quid Patronus debeat *Eccleſiæ patronatæ*, quid Parochus Patrono, (quæ duo binis Diſſertationibus noviffimè pertractavit *Joh. Clodius*, SS. Theol. D. & Superintend. *Lipſ.* año 1704. & 1711.) quid Patronus Episcopo, quid Episcopus Patrono debeat; & ſic porrò. Sed quia omnia iſta ad *Jus Patronatùs* in genere ſpectant, & in hac ejus ſpecie quam mihi tractandam ſumſi, eodem ferè modo ſe habent, illis recensendis eo magis ſuperſedeo, quòd non plenum *Tractatum*, ſed modicam *Diſſertationem* ſcribere mihi

propofuerim ; & alioquin animadvertam , eam nunc jam in majorem , ac ipfe putabam , molem sub manu excreviffe.

CAP. X.

Tractatio quæftionis fpecialis , de Dismembratione ecclefiæ patronatæ.

1. Epifcopus vel dominus territorii jura patroni ledere non debet. Quæftio : an ille ecclefiam patronatam invito patrono difmembrare vel alii unire poffit.
2. Rationes dubitandi tres , pro affirmativa. Jufta caufæ difvidendi ecclefiam.
3. Refpondetur ad illas rationes. 1^o. Negatur , domino territorii parochias immutare licere , poftquam alius (ut hic patronus) jus quæfitum ibi habet.
4. 2^o. Negatur , factâ difmembratione patrono jus fuum integrum manere. Ratio 1^a. quia jus ejus ad totam parochiam feu diftrictum fe extendit. Occurritur novæ inflantia.
5. Ratio 2^a. quia talis difmembratio & ecclefiæ & patrono & parochæ damnofa eft. Refpondetur ad novam objectionem.
6. 3^o. Negatur , dominum territorii ob curam animarum , quæ ipfi incumbit , in conscientia obligatum efle ad inftituendam talem difmembrationem.
7. Alii funt modi , quibus zelum hunc exercere poteft ; nimirum admoveat patronum , ut coadjutorem præfentet. Quid juris fit , fi id facere recuset vel tergiverfetur.
8. Solvitur nova objectio : Patroni conditionem meliorem , domini verò territorii deteriori reddi. Objectum juris patronatus non tam parochus , quam ipfa parochia ejusq; populus eft. Aliæ rationes , ob quas talis difmembratio invito patrono fieri non debet.
9. Hac decifio amplius confirmatur ex Jure Canonico & Doctorum confenfu.

I.

Quemadmodum autem Patronus in jura epifcopalia involare non debet , per ea quæ c. præc. § penult. dicta funt : ita viciffim æquum eft , ut Epifcopus five Dominus

minus territorij illis ita utatur, ne patronus, aut qui ab eo præsentatus fuit parochus, justam de violatis aut imminutis suis juribus conquerendi causam habeat. Quâ occasione *Quæstio* non ignobilis sese offert: *An dominus territorij ecclesiam sive parochiam patronatam, invito patrono & in ejus præjudicium, alij ecclesiæ non patronatæ unire; vel ita dividere sive (ut Dd. loquuntur) dismembrare possit, ut ex parte avulsâ aut separatam parochiam sibi constituat, aut eam alij parochiæ uniat sive incorporet?* Quam quæstionem eo accuratius pertractandam esse existimavi, quòd hæc ipsâ de re, aliquo jam tempore, *Patriæ meæ* cum *vicinâ Republicâ* non levis intercedit controversia.

II. Primo equidem intuitu id domino territorij jura episcopalia habenti, non denegandum esse videtur. Cum enim parochias constituere atque definire, id est, certis limitibus circumscribere & determinare, ad jus diœcesanum pertineat, atque adeò penes Episcopum vel Principem seu Dominum territorij sit: ut præter alios novissimè docet Clarissim. D. Bohmer, *de Jur. Paroch. sect. 3. c. 3. § 9.* huic etiam licebit, factam parochiarum divisionem limitumque determinationem, ubi eam minus commodè se habere deprehendit, immutare; atque adeò earum numerum aut magnitudinem augere vel minuire: ita ut hoc *jure suo utens, nemini injuriam facere videatur. l. 13. § 1. ff. de Injur.* Quodsi quis vel maximè pertendat, id non eo usque valere, ut ille totam parochiam patronatam alteri, ab eodem patrono non dependenti, unire possit; cum jus patroni hac ratione evidenter læderetur: hoc tamen concedendum erit, ut saltem partem quandam, necessitate aut commoditate ita exigente, ab ea separare, & vel novam ex eâ parochiam sibi constituere, vel alij ex suis parochijs, quæ illi forsân vicina & commoda est, adjungere possit; cum neque patronus, neque parochus, de læsione aut injuria sibi factâ justè conquiri possit. Non *Patronus*: siquidem parochia illa, quamvis fines ejus paulo coarctati sint, nihilominus ecclesiæ & nomen & jus retineat; adeò ut patrono jus suum, utpote quod nonnisi in parcho, eoque uno tantum, præsentando consistat, salvum adhuc & integrum sit. Non *Parochus*: siquidem ei salarium suum illibatum relinquatur; imò ejus con-

ditio hâc ratione melior reddatur, quod is, ut parochianorum numero, ita non modicâ laborum parte sublevetur. Præterea cum Cura animarum non patrono sed episcopo, atque adeo domino territorij, competat & incumbat; ut ipsemet supra pluribus asserui: istius omninò erit, operam dare, ut parochiani divino cultui quàm commodissimè vacare queant; ac omnia ea tollantur & averruncentur, quæ ejus usum & exercitium aut impedire, aut remorari, aut difficilem atque incommodum reddere possunt. Quodsi igitur aut evidens necessitas, aut melior commoditas cultum divinum exercendi, parochiarum divisionem mutari, & aliter institui exigat: id domino territorij suo jure, etiam inconsulto vel invito patrono, facere licebit; imò pro suo in Deum & religionem Zelo, ex officio & per conscientiam incumbet. Justa autem causæ, quæ talem dismembrationem vel incorporationem suadent, variæ esse possunt: putâ, si multitudo fidelium ita excrevit, ut unus solus pastor illis non amplius sufficere possit. *c. 53. caus. 16. q. 1. Lancelot. in J. J. Can. 2, 18, 3. Concil. Trid. sess. 21. de Reform. cap. 4.* vel, si pagi quidam ab ecclesia parochiali nimis distant; ita ut tempore pluvioso, & imprimis hyemali, eam frequentare ijs valdè difficile & molestum sit. *c. 3. X. de Eccles. adif. Concil. Trid. d. l. quâ de re notabile extat Responsum Facult. Jurid. Lips. anno 1638. apud Finkelth. de Jur. Patr. c. 5. u. 63.* & generaliter, si per illam quocunque modo exercitium religionis commodius reddi possit: nam *summa est ratio quæ pro religione facit. l. 43. in f. ff. de Religios. & sanct. fun.*

III. Verùm enim verò omnes istæ rationes, quantumvis speciosa videantur, reverà tamen tanti non sunt, quin contraria sententia, nimirum *Domino territorij NON licere absque Patroni consensu ecclesiam patronatam aut totam aut avulsam ab illâ partem suæ parochiæ adungere*; verior, & tum rationi & equitati, tum etiam juri ecclesiastico magis consentanea sit. Non equidem negari potest, apud Pontificios episcopum, apud Evangelicos dominum territorij, jus habere parochias in sua diocesi vel territorio *primitivè* constituendi, earumque limites pro arbitrio determinandi; imò postmodum etiam, si quidem nemo alius ibi jus quæsitum habeat, quo illius jus aliquo modo

limi-

limitetur, mutandi aliterque disponendi. At postquam alius in parochia jam constituta certisque limitibus circumscripta *jus patronatus*, tanquam *servitutem*, acquisivit; tunc sane illi ne utiquam licet, istam in Patroni præjudicium immutare, atque adeò huic jus suum intervertere vel minuere: non magis, quam dominus ædificij aut prædij servientis quicquam in eo, quamvis suum sit, facere potest, quo servitus quam alius ibi habet, ejusve usus, impediatur, imminuatur, aut quocunque modo deterior reddatur. l. 13, § 1. ff. de Serv. præd. rust. Qui secus facit, non jure suo utitur, sed alienum usurpat: cum tamen Imperator Antoninus Pius, quamquam ethnicus, *singulorum potestatem illibatam esse oportere, nec cuiquam hominum jus suum detrahendum*, rescripserit, § 2. J. de His qui sui vel al. jur. & l. 2. ff. eod. ipsaque prima juris præcepta, ex lege naturali deducta, *Neminem ledere, & suum cuique tribuere jubeant.* § 3. J. de Inst. & Jur. & l. 10. ff. eod. nisi forsitan ista quoque inter leges obsoletas, usque non amplius observatas, referenda, atque ita *Grenewegij legibus abrogatis* adnumeranda sint; ut Barclaj. in *Euphorm.* p. m. 3. satyricè jocatur.

IV. Falsum porrò est quod dicitur, *Quamvis ecclesia patronata dismembratur, ac pars parochianorum ab ea avellatur, patrono tamen jus suum integrum manere, dummodò jus parochum presentandi ei relinquatur.* Cum enim qualibet ecclesia sive parochia certum Districtum, certosque ac distinctos limites habeat, quibus circumscribitur, & ab alijs parochijs determinatur: prout disertè dispositum est in Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 13. sub f. (conf. c. un. caus. 13. q. 1.), & pluribus docetur à Cl. Böhmer. de Jur. Paroch. sect. 3. c. 3. § 2, 7. quod quidem ab ipsa Apostolorum institutione, vel saltem praxi, originem habere, ex 2. Cor. 10: 15, 16. colligi posse videtur: manifestum sane est, per imminutionem hujus districtus, finiumque parochialium coarctationem ipsum quoque patroni jus utique lædi atque imminui; hoc enim ad integram illam parochiam totumque ejus districtum se extendit, ita ut is parochum sive pastorem pro toto illius parochia districtu ejusque grege presentare possit: quod jus profectò non tanti est, quanti antea erat, si parochia nunc minorem quam antea terrarum

tractum hominumque numerum contineat. Quodsi quis ob-
 jiciat, Jus Patronatus esse rem incorporalem. arg. pr. *Inft. de*
Reb. corp. & incorp. & proinde in se nec augmentum nec demi-
 nutionem, sive (stylo philosophorum) *nec magis nec minus* re-
 cipere: ei ego respondeo ex pr. *J. de Usufr.* Quemadmodum
 ususfructus ibi dicitur esse *jus in corpore; quo sublato, & ipsum*
tolli necesse est: ita similiter jus patronatus esse jus in certo di-
 strictu; quo iminuto & ipsum imminui necesse est. Nimirum res
 incorporales sive jura, quæ rebus corporalibus, sive mobilibus,
 sive immobilibus, inhaerent, vel augeri vel minui censentur, prout
 rebus istis vel augmentum vel decrementum accidit. Ecquis quæ-
 so rex, princeps, aut baro, cui pars regni, principatus, vel jurisdic-
 tionis adimitur, non existimaret, jus suum, id est, imperium esse
 imminutum; etiamsi tantum ditionis ei relinquatur, ut titu-
 lum regis, principis, aut baronis adhuc sustinere possit? Pau-
 cis enim illorum ea mens erit, quæ quondam Antiocho illi Mag-
 no Syriæ regi fuit; qui posteaquam à Romanis parte Asiæ mul-
 ctatus esset, dicere est solitus: *Benignè sibi à Populo Romano esse*
factum, quod nimis magnà procuratore liberatus, modicis regni
terminis uteretur; referente Cicer. *orat. pro Dejot. versus sin.* &
Val. Max. l. 4. c. 1. ext. 9. Quodsi domino territorij non licet
 totam ecclesiam patronatam suæ parochiæ adjungere, ut apud
 omnes in confesso est: sanè non magis ei licebit, partem ab
 illa avellere, suæque incorporare; utpote quod reverà nihil
 aliud esset, quàm ex alieno suum facere. *Quod enim juris est in*
toto, id etiam juris est in parte. Barbos. *in Tbes. Jur. voc. Pars.*
ax. 4. & quæ de tota re dicta sunt, eadem & de parte sunt intelligen-
da. l. 76. pr. ff. de Rei vindic. Et si posterius istud domino ter-
 ritorij concedendum esset; profectò non video, quid oblatre
 possit, quominus ille, ubi cupido eum incescit, idem tandem
 de reliquâ illâ parochiâ facere, atque adeò patronum omni
 jure spoliare queat.

V. Præterea fieri non potest, quin per istam parochiæ
 dismembrationem atque imminutionem proventibus & emo-
 lumentis externis sive pecuniariis, quæ tum Ecclesiæ ejusque
Parochianis, tum ipsi Patrono, tum denique Parocho obvenire
 solent, aliquid decedat; atque adeò isti detrimentum, id sal-
 tem

tem quod à Jctis *lucrum cessans* appellatur, sentiant. Nam etiam si reditus & bona ecclesiastica illius parochiæ ei integra relinquerentur (quod tamen vix est ut fiat, nec aliqua eorum pars ab illa simul avellatur): ea saltem in posterum diminutionem pati necesse est; cum videlicet eæ collectæ, quas parochiani in templo conferre solent, & quæ partem reddituum ecclesiasticorum constituunt, tantò minores futuræ sint. Cumque istarum pars aliqua in necessariam pauperum sustentationem erogari debeat, possit autem contingere, ut in illa dismembratione locupletiores parochiani avellantur, pauperiores verò maneant: sequitur, collectas illas egenis sustentandis minùs esse suffecturas, vel saltem tanto minùs ex iis ad alios pios usus atque necessitates reponi posse; quorum utrumvis bonis illius ecclesiæ sive parochiæ successu temporis detrimentum non leve afferet; quod tandem in parochianos istos residuos, imò in ipsum etiam patronum redundare poterit. Ubi enim bona parochialis eorumque reditus ad ædium sacrarum vel parochialium extruccionem aut reparationem, aliasve ecclesiæ necessitates, non sufficiunt, *Parochiani* in subsidium ad sumtus istos contribuendos adigendi erunt; prout in Concil. Trident. *sess. 21. de reform. cap. 7.* decretum, & *suprà* pluribus dictum est: imò nec ipse tandem *Patronus*, præsertim si decimas ibi percipiat, in tali necessitatis casu immunis manere poterit. Ut silentio præteream, id beneficium, quòd *Patronus* ad inopiam redactus ex bonis ecclesiæ patronatæ ali debeat (quod ei competere *cap. præc.* ostendi), hoc pacto vanum atque irritum reddi posse. *Parocho* denique isthanc parochiæ suæ dismembrationem atque imminutionem damno fraudique esse (etiamsi ordinarium ejus salarium non imminueretur; quod tamen maxime metuedendum est) inde patet, quòd per eam emolumenta illa *accidentalìa*, quæ vulgò *Jura Stola*, germ. *Psar* & *Ants* & *Gebühren* vocari solent, (qualia sunt, munera sive munuscula quæ ipsi pro examine primæque admissione juvenum ad sacram synaxin, pro concione & benedictione nuptiali, pro visitatione & consolatione ægrotorum, pro concione funebri, vel simpliciter honoris & benevolentia causa à parochianis, saltem locupletioribus, dari solent; de quibus copiose differit Cl. D. Bohmer.

tr, de

iv. de Jur. Paroch. sect. 6. cap. 2. per tot. Carpov. in *Jurispr. Con-
sist. l. 1. def. 110. & seqq.* Brunnemasi. *de Jur. Eccl. 2, 5, 7.* ibique
Stryk. in *Not.*) insigniter minuuntur: nam, ut habet parocmia
germanica, *Biel Hüner viel Eyer;* id est, *quo plures habentur
gallinae, eo plura excluduntur ova.* Hic verò valde simplex esset
regerere, Parochum hoc casu vicissim parte curarum atque
laborum liberari, atque adeò in reliquâ muneris sui functione
non parum sublevari. Quanquam enim hoc parocho alicui
ignavo forsan haud adeò ingratum esset: tantum tamen abest,
ut pastor fidus id solatii loco accipiat, ut potius intimo dolo-
ris sensu afficiatur, si videat partem ovium, præsertim post-
quam per investituram iis jam fuit præfectus, curâ suâ pasto-
rali subtrahi, & in aliena ovilia atque pascua cogi. Quis igitur
inficias ibit, per ejusmodi dismembrationem non modo
Patroni jus insigniter lædi atque imminui; verum etiam tum
ipsum, tum parochum ab eo præsentatum, imò parochianos
quoque, damno maçari?

VI. Majoris momenti est, quod de *Cura animarum*, quæ
Episcopo sive Domino territorii non solum *jure suo* competat,
sed etiam *ex officio & per conscientiam* incumbat, assertur: ad
quod tamen responsio in promptu est. Nimirum hæc cura eâ-
tenus ad ejus officium pertinet, quatenus ejus jus id permittit:
atque adeò, si nulli alii quicquam juris ibi competit quo illius
jus limitetur, *omnimodè & pro suo solius arbitrio;* si verò
tertius aliquis (ut in nostro casu Patronus) jus aliquod ibi ha-
beat, tunc non nisi *salvo jure tertii*, id est sine præjudicio pa-
troni, jurisque huic competentis. Omne enim officium præ-
supponit jus illud exercendi: quo cessante vel limitato, ipsum
quoque officium cessare vel limitatum esse intelligitur. Sic
quamvis Verbum Dei prædicare & Sacramenta administrare ad
officium Pastoris pertineat; hic tamen id extra suam parochi-
am, in quâ id faciendi jus habet, nisi consentiente alterius loci
parochi, exercere nec potest, nec per conscientiam tenetur.
Sic jus dicere judicis est officium; quod tamen iste nec *extra
territorium*, nec *suprà jurisdictionem suam* exercere potest aut
debet. *l. ult. ff. de Jurisdic.* Cum igitur domino territorii, eo
casu quo extraneus Jus Patronatûs in ejus ditione habet, jus
non

non omnimodum sed limitatum competat: planum est, eum nec per officium nec per conscientiam ulterius obligari, quam ad id, quod salvo non suo solum sed etiam patroni jure, facere potest. Quodsi nihilominus ulterius progrediatur, limitesque istos excedat aut perrumpat, frustra erit, hoc attentatum zelo pro animarum salute colorare velle. Profecto enim illo casu animarum curæ atque salutis ne hilum quidem decedet; præsertim si Patronus ejusdem cum ecclesiâ patronatâ & cum ipso territorii domino religionis sit, atque adeo non minus quam iste orthodoxum & idoneum Pastorem eò eligere & possit & velit. Quod si fiat, ecquid quæso animarum salutis interest, utrum hæc à Pastore quem Patronus, an quem Dominus territorii constituit, curentur atque pascantur? Laudandus equidem est Zelus Episcopi vel Domini territorii, qui cultus divini promotioni animarumque ædificationi & salutis sollicitè invigilat, Sed Zelus iste ut bonus sit, Deoque placeat, *κατ' ἐπιγνώσιν* (Rom. 10: 2.) id est, secundum cognitionem, adeoque *consideratè*, exercendus est: & sicut ex amore Dei ortus (v. Ott. Eth. Christ. l. 2. c. 9. p. m. 181.), ita etiam cum amore proximi conjunctus esse debet. arg. 1. Job. 4: 21. Quomodo autem proximum diligit, qui jus quæsitum ei auferit, lædit, aut minuit?

VII. Enimverò sunt alii modi, aliæ rationes, alia remedia, quibus dominus territorii zelum illum laudabilem exferere, & Dei gloriæ, cultui divino, animarumque ædificationi & salutis consulere, atque adeo & jure suo uti, & officio conscientiaque suæ satisfacere possit; nec tamen patroni jus aut violetur aut imminuatur, sed salvum maneat atque integrum. Nimirum, ubi parochianorum numerus adeo auctus esse deprehenditur, ut unus Pastor justam ac sufficientem omnium curam gerere difficulter possit: tunc Episcopus sive Dominus territorii id Patrono demonstrat, eumque moneat, ut parochio *substitutum* vel *coadjutorem* adjungat, qui istum parte curarum ac laborum sublevet: id quod tunc imprimis commodè fieri poterit, imò debebit, si in parochiâ illâ patronatâ, præter templum parochiale sive primarium, die *Pfarr- oder Haupt-Kirche* alia adhuc ædes secundaria, quam *filialem* vulgò vocant, eine *Stilial-Kirche* existet. Hunc autem Adjunctum sive Coadjuto-

Q

rem

rem omni procul dubio non minus quam ipsum parochum primarium eligere atque presentare ad Patronum vi juris sui pertinebit; ut ex iis, quæ c. 9. § 6. dixi, intelligi potest. Nam qui habet Jus Patronatus in Ecclesia principali sive potiore, seu matrice, etiam in omnibus ecclesiis illi subjectis vel incorporatis Jus Patronatus habere censetur: sunt verba Brunnenmanni in *Consil.* 162. n. 186. ubi aliquot Canonistas allegat. Quodsi verò conditio Parochiæ omninò requirat, eam in duas dividi atque separari, & dominus territorii hoc ipsum facere pertendat, ejusque necessitatem patrono adprobet: tunc sanè jus patronatus in *utroque* earum penes Patronum manere justissimum est; ut mox pluribus asseretur & ab objectionibus vindicabitur. Sed *quid*si tunc Patronus talem *coadjutorem aut novum parochum presentare recuset, vel tergiversetur, aut negligat*; adeoque ne parochianis consulatur in morâ sit? Profectò non poterit dominus territorii illum propterea jure suo privare, neque parochiam ejusve partem suâ incorporare: sed idem tunc faciendum erit, quod *c. præc.* § 5. de eo casu dictum fuit, quo Patronus ecclesiæ vacanti intra certum tempus alium parochum presentando providere negligit; nimirum tunc ipse episcopus sive territorii dominus, coadjutorem aut novum parochum pro istâ vice constituere poterit. Quo tamen postea defuncto, aut mutato, patronus alium presentando jus suum denuò exercere poterit; nisi id aut negligat, aut pro derelicto habeat, aut denique præscribi patiatur: & tunc volenti non fiet injuria. *l. 145. ff. de Reg. Jur. & c. Scienti, 27. eod. in 6^o.*

VIII. Sed hic objicietur, *Hæc ratione Patroni conditionem meliorem fieri; Episcopi verò sive Domini territorii, deterio-rem*: quandoquidem patronus pro uno parochi (ad quem solum jus habebat) duos presentare possit; dominus autem territorii pro uno duos extraneos in sua diocesi sive ditione admittere atque tolerare teneatur; quod sanè durum & ini-
quum foret. Equidem fateor, hanc objectionem primò intuitu insignem habere speciem: sed speciem duntaxat; quæ iridis aut nubis instar, admoto accuratioris examinis sole, statim evanescet, & in merâ imaginatione consistere deprehendetur. Quod ut demonstrem, ante omnia *πρώτων ὑπόθεσις*, quo hæc opinio

nio nititur, & quod etiam cordato *γλωσσίωμα* objicere fucum-
 que facere possit, revincendum esse video. Isti igitur suppo-
 nunt, *Objectum Juris Patronatus* non aliud esse quam personam
 parochi: atque adeo eum qui jus patronatus in aliquo loco
 habet, id duntaxat juris habere, ut unum aliquem parochum
 eo presentare possit. Verum isti oppido falluntur, nec juris
 patronatus naturam atque ambitum satis intelligunt. Hujus
 quippe objectum non tam est parochus, quam ipsa *Parochia*
 ejusque *districtus*, & qui in eo continetur *populus*: ita ut qui jus
 patronatus in aliqua parochia habet, ejus vi toti isti parochia,
 districtui, populo, de Pastore prospicere possit, qui scilicet Ver-
 bum Dei predicet, Sacramenta administret, aliaque faciat, quae
 ad curam pastoralem (ut vocant) pertinent. Quae si ab uno
 peragi possunt, jus patronatus ad unius etiam parochi perso-
 nam restrictum erit: si vero duo vel plura, ipso etiam episco-
 po aut territorii domino ita deprehendente, requirantur, tunc
 sane duos pluresve a patrono presentari posse, rationi profus
 est consentaneum. Cum igitur jus, tot quot opus fuerit paro-
 chos presentandi, juri patronatus jam per se & sua natura in-
 fit: dici nequit, patroni conditionem meliorem fieri, si post-
 quam pro uno, qui ecclesiae patronatae antea suffecerat, duo
 requiruntur, ipse utrumque presentat; cum id optimo suo ju-
 re ei competat. Quod autem ajunt, *domini territorii conditionem*
deteriorem fieri, si pro uno duos extraneos parochos in sua ditione
admittere debeat: equidem non video, id de illius dignitate seu
 exultatione, aut utilitate vel hilum detrahere posse. Nam
 ipse dignitatem domini territorii illibatam retinet; & in istos
 parochos, ut qui quodammodo ejus subditi, saltem tempora-
 rii, fiunt, imperium & jurisdictionem tum episcopalem tum
 civilem nanciscitur, id quod ei non parum honorificum est.
 Denique principi magnanimo justitiaeque amatori hoc ipsum
 honori & gloriae est, si alteri juris sui usum etiam in proprio
 territorio haud gravate concedat. Nec est, quod quicquam
 damni aut periculi a novo illo coadjutore vel parochi sibi
 metuat: cum ipse nec salarium iis praebere, nec alios propte-
 rea sumtus facere debeat; hi vero fideles & obediens esse te-
 neantur, & ad hoc facile etiam adstringi possint. Equidem plu-

res *aliae rationes* adduci possent, cur talis dismembratio in fraudem patroni atque adeo invito eo facienda non sit: puta, quod multa secum trahat incommoda; quod ex ea inter dominum territorii & patronum, qui plerumque vicini sunt, non possint non similitates & ininicitia oriri, neutri profutura; quod denique per eam harmonia inter ipsos etiam parochianos, praesertim si iis invitis fiat, non parum turbetur, indeque eorum qui separantur querela & lamenta audiantur; inter istos autem & eos quibus illi noviter adjunguntur, aemulationum atque dissensionum materies facile subnascatur: quae omnia evitare prudentis & cordati principis vel magistratus est. Sed quoniam haec aliaque talia tum demum se exerunt, si casus iste *in hypothesis* ipsoque exemplo consideretur; ego vero quaestionem hanc tantum *in thesi* tractare mihi proposui: iis non insitam, sed ea obiter indicasse contentus ero.

IX. Sed ne patriae amore, ejusque causae serviendi studio abreptus, rem istam meis duntaxat ratiociniis conficere velle videar; cum tamen *Jctus sine lege loqui erubescat*, Novell. 18. c. 5. nunc porro ostendam, decisionem istam tum Juri Canonico & Comuni, tum etiam Doctorum, non modo Pontificiorum sed Evangelicorum quoque sententiae, prorsus esse consentaneam. In ipso equidem Juris Canonici textu similem fere casum eodem modo decisum reperio in c. 3. X. de Ecclesiis adificiis. Pervenit scilicet ad aures Pontificis, esse villam quandam, quae tam longe ab ecclesia parochiali distet, ut tempore hyemali, cum pluvia inundant, parochiani eam non sine magna difficultate adire, neque congruo tempore ecclesiasticis officii interesse possint. Rescribit itaque Pontifex, ut nova ibi ecclesia ex redditibus ecclesiae parochialis adificetur; minister vero illius sive Parochus a Patrono una cum Rectore ecclesiae matricis presentetur: qui si id facere neglexerint, ipse praesul nova huic ecclesiae provideat. Ex quo satis evidenter apparet, si ecclesia patronata in duas dividatur, patrono jus patronatus in utraque competere; ut supra § 7. dixi; id quod etiam disertè tradit Tholosan. in *Inst. de Benefic. c. 17. §. 3.* Besold. in *Thef. Pract. voc. Pfarr. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. 3, 1, 9. n. 43.* In eo quoque Doctores consentiunt, Unionem sive in-

corpora-

corporationem Ecclesiarum sine Patroni consensu fieri non posse. v. Lancellot, in J. J. *Can.* 2, 19, 5. ibique Ziegler, *not.* Steph. de *Jur. Patron.* p. 1. c. 26. n. 2. & c. 32. n. 9. Finkelth, de *Jur. Patron.* c. 5. n. 58. Carpvov. in *Jurispr. Consistor.* l. 1. def. 155. n. 6. Engel. in *Coll. Jur. Canon.* l. 3. t. 12. n. 11. aliique Canonistæ ab iis allegati. Imò si institutio parochi ab Episcopo, spretâ patroni præsentatione facta, irrita pronunciatur: c. 32. *caus.* 16. q. 7. quanto minùs ei licebit, ecclesiam patronatam vel totam vel ex parte in patroni præjudicium alteri unire. Et generaliter, non licere Episcopo sine consensu Patroni ecclesiam immutare, aut aliter instituere, tradit Christian Weber, Theol. D. in *tr. de Jur. Patron.* ann. 1647. *Hale Saxon. edito,* pag. 59. n. 66. ubi allegat Roland. à Valle *vol.* 1. *consil.* 47. n. 28. Nec obstat huic sententiæ, quòd Concil. Trid. *Sess.* 21. *de Reform.* c. 7. pr. dicitur: Episcopus arbitrio suo transferre posse beneficia simplicia, imò parochiales quoque ecclesias, etiamsi juris patronatùs sint, ex prioribus ecclesiis in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem vel viciniorum. Hoc enim disertè de eo tantum casu dispositum est, cum priores illæ ecclesiæ vetustate vel aliâ collapsæ sunt, & ob earum inopiam, ac parochianorum egestatem, nequeunt instaurari. Deinde expressè, additur, id fieri debere, *vocatis iis quorum interest;* inter quos omninò etiam Patroni sunt: quod idèo ita dispositum est, ut cum istorum consensu fiat. Cæterùm si quis Juris Canonici, Doctorùmque Pontificiorum apud Evangelicos auctoritatem elevare aut repudiare velit: is mox *cap. seq.* ubi de Norma, controversiâs circa Jus Patronatùs ortas dijudicandi, sermo mihi erit, responsionem sibi inveniet.

CAP. XI.

Modus litigandi & judicandi de controversiis circa Jus Patronatùs in Territorio Alieno ortis.

1. Transitiò & partitio hujus capitis. 2. ACTIONES Petitoria, tum reales tum personales, quæ Patrono competunt.

- | | |
|--|--|
| <p>3. <i>Actiones Possessoria sive Interdicta.</i></p> <p>4. JUDEX competens in causis J. P. apud Pontificios est Episcopus.</p> <p>5. Apud Evangelicos verò Confistorium. Quis in Helvetia iudex harum causarum sit.</p> <p>6. Quis iudex competens in controversiis de J. P. in Territorio Alieno sit.</p> <p>7. Si lis est inter Patronum extraneum & Dominum territorii, hic in propria causa iudex esse non debet.</p> <p>8. Quoniam igitur iudice lites inter istos decidi debeant. In Helvetia ea ad Arbitros pertinent. Quid juris vel consilii si Dominus territorii viâ facti procedat.</p> <p>9. Jurisconsultus patrono extraneo suadebit, ut jus suum per solemnem Protestationem sibi reservez.</p> <p>10. Politicus contra potius Transactionem suadebit. Hæc tamen parùm tuta est.</p> | <p>11. PROCESSUS in iudicio J. P. est summarius. Ambages & subtilitates juris civilis in omnibus planè iudiciis amputari deberent.</p> <p>12. PROBATIONES juris patronatus necessariae sunt. Eæ duplicis sunt generis.</p> <p>13. Probationes Plenæ.</p> <p>14. Probationes Minus - plenæ sive Presumptiva.</p> <p>15. NORMA JUDICANDI & decidendi controversias circa J. P. ortas. Helvetii veterem consuetudinem singulari studio sibi reservarunt.</p> <p>16. Autoritas Juris Canonici & Doctorum Pontificiorum etiam inter Evangelicos, ac speciatim Helvetios, circa J. P. adstruitur.</p> <p>17. Moribus sæpè novum jus, quod per advocat. vis dicitur, obtinet. Juris hujus synonyma & præcepta.</p> <p>18. REMEDIA, quæ contra sententiam iudicis patrono competunt.</p> |
|--|--|

I.

Tempus nunc est, ut in *Forum* quoque prodeam, & unâ cum Jure Patronatûs in jus ambulem, ejusque patronum coram *Judice* agam. Ubi sex potissimum sese mihi offerunt tractanda: nimirum 1^o *Actiones*, quæ Patrono competunt; 2^o *Judex competens*, coram quo istæ sunt inflituendæ. 3^o *Processus*, id est, modus & ordo in hoc iudicio procedendi. 4^o *Probationes*, quibus Jus Patronatûs probatur. 5^o *Nor-*

6^o. *Norma*, in iudicando observanda; & 6^o. *Remedia adversus sententiam* à iudice latam.

II. ACTIONES quæ Patrono competere possunt, duplicis sunt generis, *Petitoria*, & *Possessoria*. l. 13. C. de Rei vind. c. ult. X. de Judic. c. 1. & r. r. X. de Caus. poss. & propr. Illæ sunt, quibus quis vel rei corporalis dominum se esse, vel jus aliquod ad se pertinere, contendit. Hæ, quibus de possessione vel quasi alicujus rei vel juris agitur. Inter actiones *Petitorias* prima est *Actio Confessoria*; quæ patrono datur ad tuendum jus patronatus, contra quemcunque, qui eum in exercitio ejus impedit. c. 8. X. de Consuetud. Gloss. ad c. 3. X. de Caus. poss. & propr. verb. *Quicquid juris*. l. 10. § 1. ff. Si serv. vind. Quamvis enim ea directè tantum ad vindicandas servitutes prodita sit. § 2. Inst. de Action. hodiè tamen eam pro omnibus aliis juribus utiliter institui, communiter sentiunt Dd. in d. § 2. id quod speciatim de Jure Patronatus affirmat Struv. S. J. C. Ex. 13. th. 53. Hopp. in Us. Hod. ad d. § 2. J. de Act. p. m. 818. imò ipsa *Actio directa* patrono competere videtur, cum Jus Patronatus speciem Servitutis esse suprâ c. 2. § 6. ostenderim. Rei quoque *Vindicationem* habet Patronus; putà, si Jus Patronatus tanquam accessorium unâ cum prædio vel pago petat. Steph. de Jur. Patr. c. 32. n. 4. Mager. de Adv. Arm. c. 17. n. 23. & seqq. vel, si decimas ex ecclesiâ patronata percipiat, exque jam separata sint. Deinde variæ Actiones Personales ei competunt: qualis est *Condictio generalis* ex Canone, vel ex Lege. Gloss. ad l. 23. § 1. ff. de Rei vindic. vel ex Privilegio, vel ex Consuetudine, vel ex illo Contractu, ex quo jus patronatus ipsi debetur. Speciales actiones sunt, *Querela Nullitatis* contra Episcopum, qui spretâ ipsius præsentatione parochum instituit. c. 32. caus. 1. q. 7. *Actio Injuriarum*, si Præcedentia ipsi denegata sit. Stryk. in Not. ad Brunnem. 2, 8, 25. vel, si quis Nomina & Insignia illius, in templo posita & suspensa, eradere, delere, aut alio modo corrumpere aut tollere ausus fuerit. Bart. in l. Qui liberalitate. 2. § Ne ejus. 2. ff. de Oper. publ. Menoch. de Recup. poss. Remed. 15. n. 47, 48. Fesch. de Insign. c. 15. n. 10. alijque ibi alleg. Porro, si Alimenta initio dotationis sibi stipulatus sit, datur ei *Condictio certi*: quodsi ea non fuerit stipulatus,

tus, locum habet *Conditio* ex c. 29. & 30. *caus.* 16. q. 7. vel c. 25. X. de *Jur. Patron.* Denique ei etiam datur *Actio in factum*, ex malâ bonorum ecclesiasticorum administratione, contra administratorem qui ei præpositus est. c. 31. *caus.* 16. q. 7.

III. *Actiones Possessoria* intentari solent, vel ut possessionem adipiscamur, vel jam adeptam retineamus, vel amissam recuperemus: unde tria illa notissima *Interdictorum* genera, *Adipiscendæ*, *Retinendæ*, & *Recuperandæ* possessionis prodita sunt, § 2. *Inst. de Interdict.* l. 2. § 3. ff. *ead.* Hic autem verbo *Possessionis* etiam *Quasipossessionem*, quæ rerum incorporalium sive *Jurium* est, comprehendo. Quamvis enim harum rerum propriè *Possessio* non sit; receptum tamen est, ut earum quoque simpliciter *Possessio* esse dicatur. l. 1. in f. C. de *Servit. & aqu.* c. 17. X. de *Rest. Spol.* imò speciatim etiam *Jus Patronatus* possideri, ait c. 19. X. de *Jur. Patr.* & c. 19. *post m. de Sent. & re jud.* Omnia illa interdicta etiam Patrono competunt. Quodsi enim possessionem *Juris Patronatus* nondum nactus sit, interdicto adipiscendæ possessionis *Quorum bonorum* agere potest. Si tamen id *Ecclesiæ* intentet, justum allegare titulum debet, quo id acquisiverit; cum ipsa præsumtionem libertatis pro se habeat. c. 2. X. de *Rest. Spol.* in 6^{to}. Quæri hic posset; An interdictum *Quasi-Salvianum* de *Jure Patronatus* detur *Creditoribus* hypothecarijs, qui in possessionem bonorum debitoris missi sunt? Id quod hac ex ratione negatur, quod licet aliàs concessâ universalitate bonorum *Jus Patronatus* simul concessum intelligatur; in cessione tamen bonorum id in *Creditores* non transit: hi enim ad fructuum restitutionem obligati sunt, præsentatio autem ab ijs facta restitui non posset. v. *Finkelth. de Jur. Patr.* c. 6. n. 21. *Brünnem. de Jur. Eccl.* 2, 8, 16. ibique *Stryk. in Nov.* ubi in hanc sententiam adducit *Responsum* nomine *Facult. Jurid.* ab ipso año 1670. conceptum. Porro, si Patronus in possessione *Juris Patronatus* jam sit constitutus, uti poterit interdicto *Uti possidetis*, contra quoscumque turbantes arg. l. 8. § 5. ff. *Si serv. vind.* l. 4. in f. ff. *Uti possid.* c. 9. X. de *Probat.* Dicitur autem in possessione *Juris Patronatus* constitutus, qui vel semel novum pastorem bonâ fide præsentavit. *Carpz. in Jur. Conf. l. 1. def.* 21. n. 9. dummodò hæc ipsius præsentatio effectum

etiam habuerit, institutione ab Episcopo secuta. Post. de *Mannuten*, observ. 18. Mascard. de *Prob.* vol. 1. concl. 173. n. 8, 9. In hoc autem Interdicto patronus tunc vincet, si probare possit, se ultimam presentationem celebrasse: hic enim semper novissimus actus attenditur, & pro eo in possessorio pronuntiatur, licet alter plurimos actus gesserit. Roch. de Curt. de J. P. rubr. *Jus Patr. quib. comp.* n. 40. Finkelth. de J. P. c. 6. n. 28. Carpzov. in *Jur. Constit.* 1, 21, 8. Reink. de R. S. & E. 3, 1, 9, n. 17. quod plenius deduxit Stryk. in duobus Responsis nomine *Facult. Jurid.* año 1669. & 1671. ab ipso conceptis, quæ inserta sunt ejus *Not. ad Brunnem.* de J. E. 2, 8, 8. Denique ad recuperandam Juris Patronatus possessionem, quæ dejectus est, Patrono datur interdictum *Unde vi.* c. 24. X. de *Elect.* & c. 19. X. de *Jur. Patr.* Menoch. de *Recup. poss. Remed.* 1. n. 81. Steph. de *Jur. Patr.* c. 32. n. 6. Hopp. *comment. ad § 6. Inst. de Interd.* cui affine est *Remedium c. Redintegranda.* 3. *caus.* 3. q. 1. & alterum illud c. *Sapè.* 18. X. de *Restit. Spoliat.* Circa probationem autem quæ hic incumbit patrono actori, distinguendum puto, utrum is interdictum intentet contra tertium, an contra ipsam ecclesiam: priore casu nihil aliud probare debet, quam possessionem & dejectionem; hoc est, se de possessione juris patronatus, quam habuit, vi dejectum esse. Fachin. l. 8. *controv.* 9. Ziegler. *comment. ad c. Redintegr.* c. 7. § 6. & *seqq.* posteriore casu, quia præsumtio juris communis ei contraria est (nam ecclesia semper præsumitur libera), insuper evidenter docere debet, se ejus possessionem legitime affectum fuisse. c. 2. de *Restit. Spoliat.* in 6^o.

IV. Videndum jam est, coram quo Judge actiones istæ institui possint. JUDEX competens in causis, quibus de Jure Patronatus agitur, non est Judex Ordinarius sive Secularis, sed *Ecclesiasticus*; de quo expressus est text. in c. 3. X. de *Judic.* quod etiam tradit Gail. 1. *Obs.* 38. n. 6. Ratio redditur in d. c. 3. & c. 16. X. de *Jur. Patr.* quia Jus Patronatus est *spiritualibus causis coæsum*; hoc est, ad ministerium & regimen ecclesiæ spectat. Cujac. *ad d. c. 3. in pr.* Finkelth. de *Jur. Patr.* c. 8. n. 4. Ziegler. de *Jur. Maj.* 1, 13, 25. & in *Prælect.* ad d. c. 3. X. de *Jud.* quo respectu id *ecclesiasticum* dici potest, Apud Pontificios

cios igitur Judex competens erit *Episcopus* illius dioceseos, in qua ecclesia patronata sita est: cujus jurisdictio per omnes ejus partes est fundata. *c. 10. caus. 16. q. 7.* Id quod saltem in *Petitorio*, ubi de Proprietate agitur, verum est. *c. 21. X. de Judic. De Possessorio*, in quo disceptatur de Possessione juris patronatus, nonnulli Dd. idem statuunt. Alij tamen existimant, Possessorium etiam coram Judice Seculari sive Laico intentari posse; quorum sententia juri canonico magis consentanea videtur. Nam ea confirmatur exemplo in *c. 21. X. de Judic.* ubi Pontifex sententiam judicis secularis super possessione latam, ratam habet: quod amplius explicatur in *Gloss. ad d. c. 21. lit. e.* Deinde possessio rei prorsus separatum quid est ab ejus proprietate, nihilque commune cum ista habet, ut loquitur *Ulpian* in *l. 12. § 1. de Acquir. possess.* quod etiam probat *c. 5. X. de Caus. poss. & propr.* imò Possessorium causa spiritualis, non spirituale sed temporale quid esse, communis Dd. sententia est. *Gail. 1. Obs. 38. n. 3. Covarr. in Pract. Quest. c. 35. n. 1. Fab. in Cod. l. 1. r. 2. n. 12.* Unde nihil impedit, quominus ejusdem rei petitorium spirituale, possessorium verò temporale sit; ut non solum de causis Decimarum, sed ipsius etiam Juris Patronatus, post alios argumentatur *Gail. 1. Obs. 38. n. 8.* Illud tamen cum hac limitatione intelligendum est, nisi Reus, cui possessorium intentatur, Clericus sit: is enim in quibuscunque causis coram ecclesiastico tantum judice conveniri potest. *c. 12. X. de For. comp. Auth. Statuimus. C. de Episc. & Cler. Menoch. de Recup. poss. Remed. 15. n. 123. & 134.*

V. Evangelici verò Principes & Status, utpote qui inde à temporibus Reformationis Jurisdictionem Ecclesiasticam postliminiò sibi vindicarunt, ut in omnibus causis ad ecclesiam pertinentibus, sic speciatim etiam in controversiis de Jure Patronatus, ipsimet judices sunt: ita tamen, ut hujusmodi causas ecclesiasticas in *Foro mixto*, id est, in concilio expersonis tum ecclesiasticis tum politicis, ab ipso principe vel supremo magistratu constitutis, tractari & dijudicari curent. *Finkelth. de Jur. Patr. c. 8. n. 9. Reink. de Reg. S. & E. 3. 1. 10. n. 7. Carpov. in Jurispr. Consil. l. 1. def. 11. & l. 2. def. 1. & 2. Knipschild. de Jur. Civ. Imp. l. 2. c. 3. n. 184. Brunne-
man. de
Jur.*

Jur. Eccl. 3, 1, 31. Hoc forum quibusdam in locis *Consistorium* (quæ vox primitus consilium sive judicium, quod coram ipso principe habebatur, significavit. v. Calvin. in *Lex. Jurid.*); alibi verò, ut in Palatinatu Rhenano, nec non in Saxonia Electorali, *Senatus Ecclesiasticus*, *Kirchen-Rath* vocatur. In *Helvetiâ Reformatâ*, saltem in plerisque ejus Civitatibus, res & controversiæ ecclesiasticæ similiter in foro ejusmodi mixto tractari & dijudicari solent: ut præter Simler. *de Republ. Helvet.* l. 2. pag. 349. 370. 411. & 419. edit. *Lat. Elzevir.* cui ultimo loco jung. p. 487. edit. *Germ. Tigur.* (ubi tamen in specialibus non satis accuratus est) ipsa experientia docet. Sed ibi distingui solet inter *Consistorium*; quo nomine id forum sive judicium intelligitur, in quo causæ duntaxat matrimoniales judicantur, *das Ehe- oder Chor-Vericht*: & *Senatum Ecclesiasticum*; per quem illud consilium intelligo, in quo res quæ ecclesias, nec non Scholas, spectant tractantur; cujus Assessores Tiguri *Examinatores*, Basileæ *Deputati*, Scaphusii *Scholarche* der *Schule Rathi* appellari solent: ita ut prius illud potius pro Judicio in quo judicatur, hoc autem posterius pro Consilio in quo deliberatur, habendum sit. Ubi igitur tale Consistorium vel Consilium Mixtum pro causis ecclesiasticis institutum est, cui jus suffragii competit: ibi nec iustum nec conveniens esse videtur, ut Magistratus politicus sive Senatus ordinarius, materias ad Jus Patronatûs pertinentes, sive ex per modum judicii sive per modum deliberationis tractandæ veniant, ad se trahat; atque adeò ordinem ecclesiasticum, cujus hîc non parùm interest, ab illis excludat, suffragioque suo privet: cum ex iis, quæ superius dixi, manifestum sit, Jus Patronatûs, ceu materiam ecclesiasticam, utique ad forum mixtum pertinere; prout id etiam inter causas mixtas refertur in *Württemberg. Ehegerichts-Ordnung.* p. 3. c. 3. § 1. teste Lauterbach. in *Coll. Jur. ad ff.* 37. 14. 1. *sub ff.* Et hæc quidem de Judice competente in controversiis Juris Patronatûs *generatim* dixisse sufficiat.

VI. Quis autem in iis litibus, quæ *speciatim* circa Jus Patronatûs in *Territorio Alieno* oriuntur, Judex competens sit, paulò distinctius exponendum est. Nimirum controversia Patrono intercedit vel cum episcopo dominove territorii; vel

cum parcho; vel cum ecclesia sive parochianis; vel denique cum tertio aliquo, qui ei de jure patronatus litem movet. Et si quidem inter patronum & tertium aliquem (ut à postremo distinctionis membro ordiar) versetur controversia, dubium non est, Episcopum vel Dominum territorii, utpote qui *judex rei sita* est, competentem esse judicem; utervis illorum actor sit: cum talis actio vix alia quam *in rem* esse possit; cujusmodi actiones *in loco rei sita* instituuntur. l. 38. in f. ff. de *Judic. l. ult. C. Ubi in rem act.* Lauterb. in *Coll. Jur. ad ff. 1, 53.* Idem dicendum est, si inter patronum & ecclesiam patronatam controversia intercedat. At si inter patronum & parochum lis sit; distinguendum puto, utrum patronus actor sit, an parochus. Si patronus: tunc episcopus vel territorii dominus iudex competens est; quoniam actor rei forum sequitur. l. 2. C. de *Jurisdic. & d. l. ult. C. Ubi in rem act.* parochus autem, dum in illa parochia est, in eadem quoque diocesi sive territorio forum domiciliū fortitur. Sin parochus adversus patronum agat; tunc vice versa, pari ratione, patroni magistratus iudex competens erit.

VII. Sed quid si inter Patronum & Episcopum vel Dominum territorii agitur controversia, ubi tunc erit forum competens? Sanè ipse episcopus seu territorii dominus isto casu nequaquam iudex esse potest, etiamsi dominus rei sita sit. l. 10. ff. de *Jurisdic. & t. t. C. Ne quis in sua causa judicet vel jus sibi dicat*; ubi admodum emphatica sunt Imp. verba: *Generali lege sancimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere; in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententia.* Id quod non tantum de privatis, sed de ipsis etiam principibus intelligendum est: adeo ut ne Regem quidem, aut ipsum Imperatorem in propria causa judicem esse posse, Doctores asserant. Barbo. in *Thef. Jur. voc. Judex. axiom. 4.* Cujus rei ratio est, quod ob innatam cuivis hominum *φιλανθρίαν*, quisque suam causam justam, adversarii injustam esse credens, non possit non sibi ipsi æquus, adversario iniquus iudex esse; unde necesse est, eum malè judicare. Id quod etiam agnovit Aristot. in *Polit. l. 3. c. 6.* inquit: *αὐτὸν δὲ πλείστοι Φαῦλοι κερταὶ καὶ τῶν οὐκ ἐπιεικῶν* id est, Plerique in propriis causis pravi sunt iudices.

dices, add. Puf. de J. N. & G. 5, 13, 2. & 4. Quod quamvis per se satis evidens, ipsique rationi naturali conveniens sit, pluribus tamen adstruere volui: quòd etiamnum hodiè reperiantur, qui hanc quoque legem abrogatam esse putant, vel saltem cupiunt; & nescio quo superioritatis vel independentiæ cæstro perciti, quidvis sibi licere arbitrantur, nec tantum causæ cognitionem, sed ipsam etiam executionem in re propriâ sibi arrogant; nemini scilicet suarum actionum rationem reddere se teneri causantes: cum tamen boni principes, quantumvis potentiâ aliis superiores sint, actiones suas ad justitiæ (cui se subiectos esse libenter agnoscunt) normam componant; cogitantes illud Senecæ in Troad. act. 2. *Minimum decet libere, cui nimium licet.*

VIII. Cùm igitur tali in casu dominus territorii iudex esse nequeat; æquis igitur Iudex erit? Dispiciendum esse censeo, utrum ille superiorem aliquem habeat, nec ne. *Priore casu*, iste procul dubio iudex competens esse poterit; nisi aut privilegium, aut iusta recusandi causa obstet. *Posteriore casu*, imprimis si etiam Patronus, vel qui eum defendit, superiorem non agnoscat, Iudicio propriè dicto locus esse non potest; sed tunc ad eos litigandi jusque suum persequendi modos erit recurrendum, quibus inter eos qui invicem in *Statu Naturali* vivunt (quales sunt, qui inter se diversarum sunt gentium, tum privati tum reges ipsi, quique par regibus jus obtinent, sive illi optimates sint sive populi liberi; ut Grot. statim in *limine oper. sui* ait) locum esse docet Pufend. de Off. H. & C. 2, 1, 10. & de J. N. & G. l. 5. c. 13. nec non Grot. de J. B. & P. 2, 23, 7. & 8. Scilicet primò tentandum est, ut controversia per mutuum colloquium sive per *amicam disceptationem* inter ipsas partes, earumve mandatarios, componatur: eosque aut solos, aut intervenientibus communibus amicis, qui vel ex amicitia officio ultrò sese interponant, vel à partibus rogati *mediatores* agant. Quodsi hoc non succedat, *provocatio ad arbitros* locum habebit: præsertim si alioquin inter duos istos litigantes de hoc modo controversias subortas terminandi, pacto vel fœdere cautum sit; quod quidem inter vicinos & fœderatos, maxime perpetuos, usu venire solet. Uti id imprimis in

Helveticorum inter se fœderibus prudenter admodum & sollicitè dispositum esse, tum apud Simler, *de Rep. Helv. l. 2. p. 331. & seqq. edit. Lat. Elzevir.* tum maximè in ipsis *Fœderum tabulis*, videre est. Qui modus (communiter das *Eydgnössische Recht* appellatus) sæpius ad terminandas gravissimas controversias inter Helveticos ortas, feliciter adhibitus fuit. Simler. *d. l. p. 334. subf.* Et tunc istorum Arbitrorum (si quidem in eos purè compromissum fuerit) sententia, quam *Laudum* vulgo vocant, ab utraque parte standum erit & acquiescendum. Sed quidli dominus territorij Arbitrium recuset, eoque spreto sibi ipse jus reddere pertendat, atque adeò Patronum jure suo de facto privet? Sanè propterea ad arma veniendum vel *repressalis* (quæ frequenter *bellorum preludia* sunt, Pufend. *de Offic. 2. 16, 10.*) utendum (quod quidem tertium idque extremum remedium, ex iis quæ Pufend. *loc. cit.* tradit, superest) *bellumque* suscipiendum esse, nemo sanæ mentis suaserit: præsertim cum, ubi dominus territorij ita *viâ facti* procedere audeat, patronum viribus inferiorem esse, faciliè appareat. Quid enim hoc esset aliud, quam *πρός κείνην λακίλειν*, id est, *adversus simulum calcitrare*; vel, secundum Augusti Imp. apud Sueton. c. 25. dixerium, *autreo hamo piscari*: quorum illud temeritatis, hoc stoliditatis esset.

IX. Quid igitur Patrono, tali rerum statu, tandem erit faciendum? Hic aliter Jurisconsultus respondebit, aliter Politicus. *Jurisconsultus*, utpote cujus est, jus sive suum sive alterius, omni legitimo modo tueri atque conservare, Patrono autor erit, ut quamquam possessione decedere coactus fuerit, non tamen jure suo cedat; verùm istud per solennem *Protestationem* sibi reservet, remque Deo & tempori committat. Ut autem hæc protestatio legitima & efficax sit, requiritur, ut ad notitiam domini territorij perveniat, ac postmodum subinde renovetur: id quod vel *Literis* ei insinuat, vel voce *Præconis* seu *Fecialis* ad eum missi fieri potest. Hæc scilicet ratione Patrono nunquam objici poterit, eum jus suum pro derelicto habuisse; adeoque id ipsi salvum semper atque integrum manebit. Grot. *de J. B. & P. 2, 4, 6.* ibique *Bæcler. Puf. de J. N. & G. 4, 12, 4.* cum nemini jus quæsitum sine ipsius consensu, sive expresso
sive

sive tacito (qui ex silentio & patientia præsumitur) iuste auferri, nec in alium validè transferri possit. *l. 11. ff. de Reg. Jur. junct. l. 28. pr. ff. de Verb. Sign.* Jac. Gothofred. *comment. ad d. l. 11. de R. J.* Eadem quoque protestatio impedit, ne domino territorii ex illa possessione præscriptio deinceps procedere queat: nam per Denunciationem (cujus species Protestatio est; adeò ut quæ de illa dicuntur, etiam de hac dici possint. Nigrin. *de Protestat. tit. Denunciatio. p. m. 222. n. 1, 2.*) usucapio omnisque præscriptio interruptitur; cum possessor per illam in *malà fide* constituatur. *l. 9. § 1. ff. de Edend. l. 17. C. de Rei vind. Mart. de Ve de Protestat. p. m. 196. n. 54. Barbos. in Thes. tit. Denunc. ax. 2. Hopp. ad § 7. J. de Usucap. Lauterb. in Coll. Jur. ad ff. 41, 3, 34.* Malæ autem fidei possessor nullo unquam, ne immemoriali quidem, tempore præscribit. *c. ult. X. de Præscript. c. 2. de Reg. Jur. in 6^o ibique Brunnemañ. in Prælect. quod proverbio germanico dicitur: Ein jahr bõs / hundert jahr bõs; de quo v. Hert in Epidipnid. Par. Jur. Germ. n. 24.* Hanc in rem notabilis est, & ad hunc ipsum casum egregiè accommodari potest *l. 2. C. de Annal. except.* quæ cum nimis longa sit, quam ut hic inferatur, ejus summam ex Baldo & Saliceto subijciam; quæ ita se habet: *Si possessor præscribens conveniri non possit propter absentiam, potentiam, infantiam vel furorem; potest fieri interruptio præscriptionis per denunciationem factam præfidi, vel episcopo, vel defensori loci; vel ultimò per publicam & solennem protestationem factam ad domicilium possessoris.* Ubi quod de potentia dicitur, *Glossa* ita interpretatur: *Potens est, qui habet merum imperium; unde non potest conveniri. l. 2. ff. de In jus voc.* Obiter hic notari potest, ejusmodi denunciationem sive protestationem, olim si quidem absenti fieret, *desertationem* appellatam fuisse. *l. 39. § 2. l. 40. pr. & l. 238. § 1. ff. de Verb. Sign.* Et fanè Jus Patronatus in Territorio Alieno, præsertim quando id Principi vel Civitati competit, etsi non sit lucrativum, tamen satis honorificum atque decorum est: ut proinde princeps aut magistratus, cui Reipublicæ salus & gloria curæ cordique est, id non minùs ac alia jura civitatis non perfunctoriè tueri, omnibusque modis conservare, & ad posteritatem propagare debeat; nec citra *prævaricationis* culpam aut suspicionem negligere vel pro derelicto habere possit.

X. Po-

X. *Politicus* contra, non tam quid *juris*, quam quid *ex usu Reipublicæ* sit, atque adeo potius quid huic *conducatur*, quam quid *competat*, considerare solet; seque temporibus, eorumque circumstantiis accommodare, & proinde interdum tempori magis quam causæ servire studet. Itaque diversum fortasse sentiet, & consultius esse censebit, *majori cedere*; quam potentem vicinum, & qui aliquando usui esse possit, intempestivâ contradictione irritare & alienare. Forsan igitur suadebit, ut Patronus dismembrationi à domino territorii factæ, per Transactionem acquiescat; dummodò hic illi *de non ulterius turbando vel attentando*, solenni scripto sive instrumento idoneè caveat; quo ille saltem quoad partem residuam in posterum securus sit. Sed non video, hæc ratione Patrono satis cautum esse. Etenim, quem justissimus acquisitionis titulus, quem antiquissima documenta, quem longissima possessio tueri non potuit, eumne cautio chartacea tutum præstabit? Sanè Seneca *de Benefic. l. 7. c. 10.* suo jam tempore *diplomata, syngraphas, & cautiones, vana habendi simulacra* appellavit: quid putamus, eum hodiernis moribus atque temporibus de iis judicaturum esse? Quid quod metuendum est, ne hæc ipsa facilitas jure suo cedendi, illum novæ injuriæ opportunum & obnoxium reddat; secundum illud: *Veterem ferendo injuriam, invitas novam.* Deinde, cui tunicam alteri abstulisse impune fuit, annon eum pallii quoque auferendi cupido facile incessere poterit? Id quod lepido admodum exemplo, vel potius emblemate, declarat Horat. *l. 2. epist. 1. v. 45. & seqq.*

*Utor permissò, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello; demo unum; demo etiam unum:
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.*

Cæterum utra sententia sit præferenda, decidere mihi neutiquam arrego; cum me neque Jurisconsultum, neque Politicum, sed utrobique nonnisi tironem esse, ingenuè agnoscam, ac proinde ex Virgil. *eclog. 3. sub f. ultrò dicam; Non nostram inter vos tantas componere lites.* Quare id aliis, ad quos ejus rei cura pertinet, relinquens, in instituto meo pergo.

XI. PROCESSUS in judicio de Jure Patronatûs, perinde ut in omnibus causis ad munera seu beneficia ecclesiasti-

ca pertinentibus, *summarius* est: hoc est; *simpliciter* & *de plano* ac *sine strepitu* & *figura iudicii proceditur*; ut loquitur Pontifex in *c. Sapē 2. Clem. de Verb. Signif. & c. 2. Clem. de Judic.* Quæ tamen verba non hunc sensum habent, ac si in foris ecclesiasticis nullus ordo judicialis sit observandus; utique enim Citationes, Probationes, aliæque *iudicii partes essentielles* sive *substantiales* (quas recenset Stryk, in *Introd. ad Prax. For. c. 1. § 14.*) adhiberi debent: sed quod veritas nude ac simpliciter inspicenda sit, *absque subtili ordinis iudiciarii observatione*, ut est in *d. c. 2. Clem. de Jud.* hoc est, omiſſis prolixis illis processuum solennitatibus atque ambagibus à Jure Civili præscriptis; id quod latius exponitur *d. c. 2. Clem. de Verb. sign.* Ex his enim sæpè *dispendiosam litium prorogationem* provenire experientia docet; ut ex tripode ait *d. c. 2. de Judic.* quas propterea inter Processuum hodiernorum vitia numerat, adeoque amputandas esse meritò censet gravissimus nostri temporis Jctus, Joh. Sam. Stryk, in *Dissert. de Emend. Proc. Forens.* sub ejus Præsid. superiore anno Halæ habitâ.

XII. Præcipuum autem, quod in processu Juris Patronatûs est attendendum, PROBATIONES sunt: adeo ut hîc imprimis valeat, quod Damhouder, in *Prax. Civ. c. 156. n. 11.* ait, Probationem *animam processûs* esse. Cùm enim omnis ecclesia *Libera* esse præsumatur, arg. *l. 8. & l. 9. C. de Servit. & aqu.* quod latius ostendit Mascard, *de Probat. vol. 1. concl. 177. n. 6. & seqq. & vol. 2. concl. 586. per tot.* Fab. in *Cod. l. 6. t. 1. def. 4.* ideò ei qui contendit, se Jus Patronatûs in ea habere, hujus probatio incumbit, Modi autem probandi Jus Patronatûs quamplurimi sunt, quos præ omnibus accuratè recenset, explicat, ac ingenti Doctorum agmine confirmat Joseph. Mascard, *de Probat. vol. 2. conclus. 960.* & Martin. Mager, à Schœnborn, *de Advoc. Armat. cap. 18.* Eorum præcipuos hîc breviter recensere, ac in plerisque Lectores ad duos illos Dd. & nonnullos alios, quos copiosius hac de re agere reperi, ablegabo, qui plura desiderantibus ex affe satisfacient. Eos autem melioris ordinis gratiâ in *duas classes* distribuam: quarum *prior* illos continebit, qui certiore ac pleniore faciunt fidem; *altera* eos, qui præsumio.

sumptione tantum atque conjecturam nituntur, in defectu tamen vel concursu meliorum haud exiguam vim habent.

XIII. *Plene itaque probatur Jus Patronatus (1.) Modis acquisitionis, evidenter demonstratis: quod pertinent (α.) Instrumenta super Fundatione, Constructione, vel Dotatione confecta.* Lambert. *de Jur. Patr. p. 2. l. 2. art. 12. q. 10.* Mager. *de Adv. Arm. c. 18. n. 16. & seqq.* Ubi notandum, si de Jure Patronatus civitatis vel alterius Universitatis agatur, speciatim probandum esse, id ex bonis ipsius universitatis fuisse acquisitum. Mascard. *de Probat. vol. 2. concl. 960. n. 35. (β.) Diplomata Privilegiorum, si patronus affirmet, hoc jus sibi à principe vel pontifice tanquam privilegium fuisse concessum.* Mascard. *d. l. n. 39.* Mager. *d. l. n. 50. & seqq.* vel *Littera Investitura*, si id una cum Feudo alicui collatum sit. Mager. *d. l. n. 55. & seqq. (γ.) Instrumenta Donationis, Permutationis, Emptionis, vel alterius pacti, quo illud in aliquem translatum est.* Mager. *d. l. n. 80. & seqq.* Finkelth. *de Jur. Patr. c. 8. n. 55. (δ.) Successio in hereditatem patroni defuncti, sive Testamentaria sive Legitima; quæ variis modis facile probari potest.* Mager. *d. l. n. 75.* Huc illam etiam successionem refero, quam præcipue allegant Principes & Status Evangelici, ad quos Jus Patronatus, quod olim Monasteriis & Cœnobiis in territorio suo sitis competebat, pervenit, postquam hæc religionem evangelicam amplexa, adeoque velut civiliter mortua erant. Quod si talia Instrumenta deficiant, vel injuria forte temporis amissa sint; Jus Patronatus probari potest (2.) *Per actus Præsentationis, quibus quis possessionem hujus juris acquisivit, vel continuavit.* Mascard. *d. l. n. 3. & seqq.* Mager. *d. l. n. 232.* Præsentatio hæc præter alios modos etiam *Literis Episcopi* probatur, in quibus hic narrat, se aliquem in tali beneficio ad hujus vel illius præsentationem instituisse. Mascard. *d. l. n. 11. & seq. & vol. 3. concl. 1223. per tot.* Circa numerum autem actuum præsentationis distinguendum est inter Petitorem & Possessorem: in hoc unicus actus sufficit, dummodo *ultimus* fuerit; ut *supra* jam dixi. Sed in *Petitorio*, tot & tales actus requiruntur, per quos Præscriptio hujus juris legitime impleta dici possit; de qua superius

rius plura differui. Ab omnibus autem exceptionibus, quibus præscriptiones obnoxia sunt, tutus est, qui tanti temporis possessionem allegare potest, quod hominum memoriam excedat, ut est in Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 9. post pr. sive (ut *ibidem* paulò post specialius dicitur) si præsentationes non minore saltem quàm quinquaginta annorum spatio continuatae, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur. Porro probatio fieri potest (3.) *Testibus* fide dignis. Steph. de Jur. Patr. c. 33. n. 20. Mager. d. l. n. 90. & seqq. quorum ad minimum *duo* requiruntur, arg. l. 12. ff. de Test. l. 1. Feud. 26. § 1. 2. F. 2. pr. & 2. F. 58. § 1. inj. Debent autem hi affirmare, hunc illius ecclesiæ patronum esse, vel jus patronatus ad hanc familiam pertinere; istamque suam assertionem rationibus confirmare, ex. gr. se vidisse Literas Foundationis, se audivisse vel vidisse parochum ab hoc præsentatum & ab episcopo institutum fuisse, &c. Denique probatur (4.) *Documentis authenticis*, in quibus commemoratur, Jus Patronatus hujus ecclesiæ ad illum spectare: qualia sunt, *Scriptura in archivo publico* reperta, l. 10. ff. de Probat. Auth. Ad hæc. C. de Fid. instrum. Mager. d. l. n. 252. Huc etiam refero *instrumentum Sententiæ* olim à judice super eo, de quo agitur, Jure Patronatus in favorem alicujus vel majorum suorum lata. Steph. de Jur. Patr. c. 33. n. 26. Mager. d. l. n. 241. & seqq. Eodem jure censentur *Libri antiqui ecclesiarum vel monasteriorum*. c. 13. X. de Probat. c. 13. X. de Præscript. Wefembec. Consil. 48. n. 14, 21. Mager. d. l. n. 187. quo pertinent etiam pontificiorum *Libri Missales, die West. Bücher*. Borchold. part. 1. consil. 29. & apud Evangelicos *Matricula sive Protocolla Consistoriorum*. Finkelth. de Jur. Patr. c. 8. n. 47.

XIV. Sunt præterea & aliæ Probationes *imperfectæ ac præsumtivæ*, ut vocantur, quæ licet non plenam fidem faciant, gravem tamen præsumtionem pro patrono pariunt. Tales sunt (1.) *Nomina, Insignia, Arma Patroni* in ecclesiæ, de cujus patronatu contenditur, templo posita, depicta, insculpta, affixa, suspensa; quæ quasi sempiterna Juris Patronatus, huic familiæ, civitati, vel alii universitati competentis, monumenta sunt. Lambert. de Jur. Patr. p. 2. l. 2. art. 9. q. 10. Finkelth. de

J. P. c. 8. n. 51. Mager. d. l. n. 104. & seqq. Sebast. Fesch. tr. de Jur. Insign. c. 13. n. 3. & c. 14. n. 7. & 11. aliique ibi alleg. (2.) *Inscriptiones & Characteres antiqui*, in Lapidibus, Parietibus, Campanis templi; quæ sæpè indicium Juris Patronatus haud contemnendum præbent. Steph. de J. P. c. 33. n. 22. Finkelth. de Jur. Patron. c. 8. n. 44. Mascard. d. l. n. 21. Mager. d. l. n. 189. & seqq. & Dd. ad l. 6. C. de Relig. & sumt. fun. (3.) *Alia Monumenta antiqua*, sive manu scripta, sive typis excusa, Mascard. d. l. n. 29. quo etiam spectant *Libri Historici*, quibus memoria proditum est, ecclesiam ab hoc vel illo fundatam esse, aut Jus Patronatus in eâ ad hanc familiam pertinere. Mascard. volum. 1. concl. 230. n. 1. Mager. d. l. n. 192, 193. Finkelth. d. c. 8. n. 49, 50. item Literæ quas Præsul sive Antistes ecclesiæ patronatæ ad aliquem scripsit, in quibus eum *Patronum* vel *Collatorem* nominavit. Mager. d. l. n. 205. Denique (4.) *Fama*, quæ in primis in rebus antiquis, quarum probatio difficilis est, multum valet. l. 3. § 2. ff. de Testib. Lambert. de J. P. p. 2. l. 2. art. 4. q. 10. n. 13. Mager. d. l. n. 194. & seqq. Steph. de J. P. c. 33. n. 24.

XV. Accedo ad **NORMAM JUDICANDI**, quam judex vel arbiter in decidendis hujusmodi controversiis sequi debet. Ea generaliter loquendo, ut in omnibus aliis judiciis, est *Jus* sive *Lex*: judex enim secundum jus, id est, secundum leges, judicare debet. pr. J. de Off. jud. l. 13. C. de Sentent. & interloc. Quemadmodum autem in plurimis rebus usu venit, ut ipsi homines, præsertim qui inter se contrahunt, pactis & conventionibus, sive expressis sive tacitis, ipsi sibi jus constituent; eo cum effectu, ut ejusmodi pacta legem contractibus dent. l. 23. ff. de Reg. Jur. l. 10. C. de Pact. unde commune illud Jctorum axioma: *Provisio hominis facit cessare provisionem legis*. Barbos. in Thesaur. tit. *Provisio*. ax. 5. ita idem quoque circa Jus Patronatus in Territorio Alieno locum habet. Igitur, ut rem breviter expediam, in judicandis litibus & controversiis, quæ hic oriri possunt, (1^o.) Ante omnia videndum erit, an *Pacta* quædam sive conventiones inter patronum & episcopum sive territorii dominum, vel etiam ecclesiam patronatam, inita, ipsoque usu observata, extent. Et tunc secundum illarum tenorem, vel legitimam consequentiam inde deductam

ductam, controversia erit decidenda. (2^o.) Si nulla adsint pæ-
 cta quæ aliquid lucis afferre possint; tunc ad *Consuetudinem* si-
 ve veterem praxin, in jure illo patronatûs usu observatam, est
 respiciendum: hæc enim instar pacti taciti est, & consensum
 tacitum arguit. l. 32. § 1. ff. de Legib. imò pro jure non-scripto
 habetur, & proinde eandem quam lex scripta vim & effectum
 habet. d. l. 32. & seqq. ff. de Legib. § 9. J. de Jur. N. G. & C. Ab
 eâ igitur in judicando recedere non licet, nec etiam ab ipsis
 partibus in eâ quicquam mutari aut innovari potest, nisi con-
 sentientibus iis quorum interest. Sanè *Helvetii* in mutuis suis
 fœderibus *veterem consuetudinem*, das *Alte Herkommen* / singulari
 curâ & studio sibi reservârunt; eamque singulæ eorum civita-
 tes salvam sibi atque integram relinquendam esse, disertè sti-
 pulatæ sunt, verbis admodùm emphaticis, quæ ita se habent:
 Wir haben auch insonderheit Uns zu beyden Theilen jedtliche State
 under Uns/ und jedtliches Land / in dieser ewigen Bûndnuß lauter
 vorbehalten / und behalten Uns selbst vor / alle und jedtliche unsere
 Gerichte / Statt-Recht / Land-Recht / Gesetze / Freyheiten / gute
 Gewohnheiten / und alt Herkommen / wie wir solches von altem her-
 bracht haben; also daß wir zu allen Theilen fürbashi unbefrânct
 darbey bleiben sollen. Eo magis autem in Jure Patronatûs praxis
 sive consuetudo pro norma haberi debet, quo sæpius istam à
 communi illius naturâ & formâ recedere videmus, ut in su-
 perioribus passim attigi: quæ proinde hic utramque ferè pagi-
 nam faciat. Unde etiam Doctores inprimis in hac materia an-
 te omnia Consuetudinem inspiciendam esse, crebrò inculcant.
 v. Finkelth. de Jur. Patr. c. 8. n. 62. ibique alleg. (3^o.) Quodsi
 nec ex consuetudine res controversa dijudicari possit; ad *Jus*
Commune recurrendum erit: & quidem potissimum ad *Jus Ca-*
nonicum, in quo scilicet materia de Jure Patronatûs, utpote
 ecclesiastica, propriam quasi sedem habet, & peculiaribus titu-
 lis tractatur. Quanquam enim in quibusdam etiam Novellis
 Justiniani Imp. illius mentio fiat; eæ tamen non valdè ma-
 gnum usum hic præbere possunt. Quodsi igitur casus aliquis
 in Jure Canonico in terminis (ut loquuntur), vel saltem in
 casu simili, decifus sit, vel denique per legitimam consequen-
 tiam inde deduci possit: id omninò in judicando sequi oportet.

tebit. (4^o.) Sin hoc quoque deficiat; tunc *Decisiones Docto-
rum*, tam *Pontificiorum* quam *Evangelicorum*, non modicam au-
toritatem obtinere debent; præsertim si rationibus juri con-
sentaneis suffulta sunt. (5^o.) Denique si controversia emer-
gens nusquam, nec in eodem nec in simili casu decisa reperia-
tur; iudex *ex æquo & bono*, id est, juri naturali & communi
convenienter, iudicium de illa ferre debebit: adeoque non
mero suo arbitrio indulgere poterit.

XVI. Cæterum quod de *autoritate Juris Canonici & Do-
ctorum Pontificiorum* à me dictum est, id si quis *apud Evangelicos*
non valere putat; is oppidò fallitur. Etenim ex istorum tum
confessione tum praxi satis constat, *Jus Canonicum* in multis
causis, præsertim etiam in ecclesiasticis (cujusmodi *Jus Patro-
natus* est) apud eosdem plenam in decidendo & iudicando vim
atque autoritatem obtinere; ut *Lauterbach. in Coll. Jur. ad ff.
Prolegom. § 12. & seqq.* plurimique ab eo allegati, asserunt.
Cumque speciatim *Jus Patronatus* post Reformationem à Prin-
cipibus & Statibus Evangelicis, ipsisque etiam *Helvætiis Refor-
matis* retentum fuerit: ea quoque, quæ *Jus Canonicum*, à quo
id certam ac definitam formam accepit, circa illud disposuit,
apud eosdem recepta esse, adeoque vim obligandi habere, in-
telliguntur. Quod ipsum etiam de *Doctorum Pontificiorum* ex-
plicationibus atque *decisionibus* tenendum est: hi enim non
tantum optimi interpretes juris canonici, sed etiam testes fide
digni praxeos sive observantia, quæ circa *Jus Patronatus* ob-
tinet, esse possunt. Sed ad *Concilij Tridentini decreta* quod at-
tinet: scio equidem, ea apud Evangelicos nullam prorsus au-
toritatem mereri; imò etiam apud multos ex ipsis Pontificiis
exiguam habere. Illa tamen loca, quæ de *Jure Patronatus*
à me, exemplo aliorum *Jurisconsultorum*, etiam *Evangelico-
rum*, ex eo allegata fuerunt, non tam novi quid circa *Jus pa-
tronatus* constituunt, quam ea quæ jam antea in usu & praxi
fuerunt, vel saltem ejus naturæ & indoli conveniunt, amplius
declariant; atque eâtenus non imèritò valere debent.

XVII. Verum enim verò, si morem nostrorum tempo-
rum inspiciamus: deprehendemus, in controversiis de *Jure
Patronatus* non minus, quam in aliis, apud nonnullos eorum
qui

qui superiorem non agnoscunt, aliud Jus planè *Novum* usu vi- gere; quod proinde *Gudelini Commentariis de Jure Novissimo*, appendicis instar subjungi posset. Id JUS (si tamen ita no- minandum est, ac non potius per levem literarum *metathe- sis* VIS) à Gallis appellatur *la Loy du plus fort*, id est, *Jus validio- ris*: cui affine est alterum ejusdem communitatis, *le Droit de Bien- sèance*, id est, *Jus commoditatis* sive *opportunitatis*. Quod qui- dem jus jam olim *Galli Senones* professi sunt, apud Liv. l. 5. c. 36. discitantes: *Se in armis jus ferre, & omnia virorum for- tium esse*; nec non *Pompejus*, apud Plutarch, in *Apophth. Lacon.* c. 94. cujus dicitur hoc fuit: *Qui isto (gladio) praevalet, is optime de finibus disputat*. Primum juris hujus præceptum est apud Horat. l. 1. sat. 3. v. 98. *Utilitas justis prope mater & æqui est*; alterum verò apud Tac. *Annal.* 15, 1, 6. *Id æquius, quod validius*. add. Grot. de J. B. & P. in *Proleg. n. 3.* Pufend. de J. N. & G. 1, 6, 10. 2, 2, 5. & 2, 3, 10. Verùm hoc jus non *ci- vile*, sed potius *canonicum* est; Gallicè *le Droit canon*: non tam- en in communi illo significato; pro eo jure, quod à Gratia- no monacho compilatum, & deinceps à Romanis Pontificibus coagmentatum est. Scilicet illius de quo nunc loquor *Canones*, non *libris* inscripti, sed in *armamentariis* ac *munimentis* principum vel civitatum rotis impositi cernuntur; tantæque effica- cia, ut omnes vel doctissimorum Jurisconsultorum allegatio- nes atque decisiones vanas & irritas reddere, unoque ictu pro- sternere valeant. Sed cum hoc Jus non in *Academiis* doceatur, verùm in *Aulis* atque *Curiis* tractetur & exerceatur, adeoque mei fori non sit; id missum facio: unum hoc optans, ut nulla neque de *Jure Patronatus*, neque alterius generis *controversia* *terribili illo jure* decidatur; ne veterem illam *Ennii* apud Cicer. l. 7. *epist. fam.* 13. & Gell. l. 20. c. 10. querelam renovare ne- cesse sit:

Vi geritur res:

*Non ex jure manum confertur, sed magis ferro
Rem repetunt, aliena petunt, vadunt solidâ vi.*

XVIII. Denique contra ipsam *Sententiam* à *judice* vel *arbitro* latam, si ea *iniqua* sit, nonnulla etiam *REMEDIA* *Patrono* competere possunt: videlicet *Querela Nullitatis*, si *senten-*

sententia ipso jure nulla sit; *Appellatio*, si à giudice inferiore lata fuerit; *Supplicatio* & *Revisio*, si ad superiorem judicem appellari non possit; *Restitutio in integrum*, & similia. Sed quia hæc remedia in aliis quoque causis Jure vel Consuetudine prodita sunt, ac in controversiis de Jure Patronatûs nihil ferè singulare habent; ea uno verbo indicasse sufficiet. De iis qui plura scire desiderat, evolere poterit eos Doctores, qui *ad tit. ff. de Appellat.* commentati sunt; nec non illos quoque, qui de *Processu Judiciario* ex instituto scripserunt.

CAP. XII.

Modi, quibus Jus Patronatûs in Territorio Alieno amittitur five finitur.

- | | |
|--|---|
| <p>1. <i>Connexio. Modi finiendi J. P. vel generales, vel speciales sunt.</i></p> <p>2. <i>Ex parte Ecclesie patronatæ J. P. planè tollitur vel Destructione templi, vel Amissione dotis. An hoc æquum sit.</i></p> <p>3. <i>Ex parte Patroni id finitur eo vivo & vel volente, per Cessionem; vel invito, ob Culpam omissionis sive Negligentiam ejus.</i></p> <p>4. <i>Quibus modis id ob Culpam</i></p> | <p>5. <i>Finitur etiam J. P. si patronus mortuus sit, nullo heredè relicto. Sententiâ quoque id tolli, minus rectè dicitur. Quomodo J. P. Feudale finitur.</i></p> <p>6. <i>Quibus modis in specie J. P. in Territorio Alieno finitur, & in proprio territorio fiat.</i></p> <p>7. <i>Conclusio totius hujus exercitationis: excusatio magnitudinis ejus.</i></p> |
|--|---|

I.

UNum adhuc ad absolvendam Juris Patronatûs in Territorio Alieno tractationem superesse video, ut quibus modis id finitur, coronidis loco exponam. Quâ quidem in re mihi ideo breviori esse licebit, quòd id iisdem ferè modis quibus Jus Patronatûs in genere, finitur & quasi

quasi exspiret : nec multa peculiaria hic annotanda occurrant. Ut autem accuratiore ordine procedam, distinctè exponam, primo quibus modis Jus Patronatùs quoad ipsam quasi *substantiam* planè tollatur: *deinde*, quomodo ea duntaxat Juris Patronatùs *qualitas* (vel philosophicè loquendo *relatio*) quà id in Alieno Territorio est, desinat, salvà manente illius substantià. Prior consideratio omni Juri Patronatùs communis est; posterior, ei speciei, quam mihi præcipuè tractandam sumsi, propria.

II. Modi quibus Jus Patronatùs *planè tollitur*, varii quidem recensentur, sed ferè confuse proponuntur. Eos igitur melioris distinctionis atque ordinis gratià, in *duas classes* distribuam: ita ut eorum *quidam* ex parte ecclesiæ patronatæ, *alii* ex parte patroni oriantur. *Priores* potissimùm duo sunt; nempe (1^o) *Destructio templi* ecclesiæ patronatæ: si scilicet id vel incendio consumtum, vel ab hostibus dirutum, vel vetustate, terræmotu, aliove casu corruerit atque collapsum sit. Tunc enim, si Patronus id suis sumptibus restaurare sive reedificare recuset, Jus Patronatùs amittit. Lancellot. in J. J. *Can.* 1, 28. § *fin.* Finkelth. de *Jur. Patr.* c. 4. n. 78, 80. § c. 7, n. 1. haud secus ac usufructus ædium, si hæ incendio consumptæ fuerint, aut terræmotu vel vitio suo corruerint, extinguitur. § 3. J. de *Usufr.* l. 5. § 2. ff. *Quib. mod. usufr. amitt.* Cui affinis est (2^o) *Dotis amissio*: si nempe dos ecclesiæ patronatæ quondam data, amissa fuerit sive perierit. Tunc enim, si Patronus ecclesiam istam denuò dotare nolit, Jus Patronatùs in eà itidem amittit. Ziegler, ad Lancellot. 1, 28, 21. *not.* 3. Finkelth. de *Jur. Patr.* d. c. 7. n. 2. Cujus dispositionis ratio non alia quàm hæ esse videtur, quod cessante vel sublata causà, etiam effectum cesset. Barbos, in *Theaur. Axiom. voc. Causa.* n. 12. nam illa, quæ ab analogià *Ususfructus* petitur, incongrua est. Cæterùm duobus istis casibus, si quis alius sit, qui templum reedificare aut ecclesiam redotare velit, ad eum Jus Patronatùs deferetur. vid. *suprà* c. 8. § 5, 6. Sed, ut quod res est fatear, si neque templi neque dotis interitus Patroni culpa acciderit, isque vel ejus antecessor ecclesiam ab initio extruxerit aut dotaverit, aut aliàs Jus Patronatùs titulo oneroso acquisiverit: sanè iniquum & a juris ratione alienum mihi videtur, Patronum ob vim majō-

T

rem

rem, vel ob casum fortuitum jure suo excidere; & sic sæpè alienam forsàn culpam luere, eorum scilicet, qui aut in reficiendo templo, aut in dote administrandâ negligentiores fuerint. Scio equidem non de legibus, sed secundum leges judicandum esse; ut ait Augustinus, *c. 3. distinct. 4.* & Lyltas, cit. Pufend. *de J. N. & G. 8, 3, 17. post pr.* ideò hoc tantum dico: *Durum quidem videtur; sed ita lex* (saltem à Dd.) *scripta est. l. 12. § 1. ff. Qui & à quib. man. lib. non fiant.* Quicquid sit; certè distinguendum erit, utrum primus ille Patronus ecclesiam vel tantum extruxerit, vel tantum dotaverit, vel istorum utrumque fecerit. Hoc tertio casu manifestè injustum esset, illum aut ob solam templi destructionem, aut ob solam dotis amissionem, totum jus suum amittere: nec minus, ut is qui ecclesiam extruxit, ob dotis amissionem, vel qui eam dotavit, ob fabricæ ruinam sive destructionem, Jure suo excideret. Æquius esse existimaverim, ut Patronus cum novo ædificatore vel donatore in partem Juris Patronatus veniat. Planè si *tota illa parochia*, in quâ quis Jus Patronatus habet extincta sit; quod peste, bello, inundatione, ruinâ montium, aliisque modis fieri potest: tunc sanè Jus Patronatus extinguitur; ob illam rationem de *Usufructu* modò allatam, quæ ad hunc casum rectè quadrat: quia nempe, sicut usufructus est jus in corpore, ita Jus Patronatus est jus in parochiâ; quâ sublata & ipsum tolli necesse est. *pr. J. de Usufr. l. 2. ff. eod.* Sed quid si Parochia patronata non quidem prorsus interierit, sed forsàn ob parochianorum paucitatem vel egestatem, alii parochiæ *incorporata* fuerit? Non dubito, isto casu Patronum in æquam partem Juris Patronatus in illâ ecclesiâ, cui sua incorporatur, admittendum esse.

III. *Ex Patroni parte* Jus Patronatus tollitur, illo aut adhuc vivente, & vel volente vel invito; aut mortuo. *Volente* patrono id fieri potest per *Resignationem* sive *Cessionem* Juris Patronatus, factam aut ipsi ecclesiæ patronatæ, quæ exinde libera esse incipit; aut episcopo sive territorii domino: idque vel gratis, nempe per donationem, vel per modum contractus. Simili nimirum modo, quo etiam *Usufructus* finitur, si domino proprietatis ab usufructuario cedatur. § 3. *J. de Usufr.* Patrono autem *invito* tollitur Jus Patronatus ex aliquâ ejus *Culpâ*; quæ vel

vel in omitendo consistit, vel in committendo. *Omissio* sive *Negligentia* in *universalem* & *particularem* distingui potest. *Illam* voco, quâ quis totum *Jus Patronatûs* negligit: quod fit *Non-usu*; cum scilicet Patronus per 30. vel per 40. annos, vel per tempus immemorabile, (secundum varias scilicet distinctiones, quas *suprà* c. 8. § 8. explicatiùs proposui) actus præsentationis exercere neglexit, atque adeò patitur, ut id vel ab episcopo territorive domino, vel ab ipsâ ecclesiâ, vel à tertio aliquo præscribatur: quâ præscriptione ipsum *Jus Patronatûs* illi amittitur, & alii acquiritur. Hoc verò tempus currere incipit post quadrimestre vel semestrem illud spatium, intra quod Patronus parochum ad beneficium vacans præsentare neglexit: ita ut, si possessionem alterius, qui postea præsentavit, intra tempus huic præscriptioni definitum interrumpere (quod etiam per *Præstationem* fieri potest, ut *cap. præc. § 9. dixi*) omiserit, *Jus suum* propria culpâ amisisse dicendus sit. Perperam enim *Jus Patronatûs* inter *res mera facultatis*, quæ nullo tempore præscribantur, refertur à Brunnemañ. *de Jur. Eccl. 2, 8, 28.* qui propterea meritò vapulat à Stryk. *in Not. ad b. l.* *Negligentiam particularem* appello, cum Patronus unum tantum vel alterum præsentationis actum negligit: quod fit, si intra tempus illud quadrimestre vel semestrem, quod præsentationi determinatum est, nullum præsentat, sed istum terminum præterlabi sinit. *c. 27. X. de Jur. Patr. c. 4. X. de Elect. c. 2. X. de Suppl. negl. præc. vel si præsentat quidem, sed indignum c. 7. sub. f. c. 25. X. de Elect. & Novell. 123. c. 18.* Tunc enim episcopus vel dominus territorii pro eâ vice parochum idoneum eligere atque instituere potest: adeoque Patronus ob talem negligentiam non ipsum *Jus Patronatûs*, sed ejus duntaxat exercitium, & quidem pro istâ tantum vice amittit; quod tamen in futurum ei non præjudicat. *dd. text. Carpz. in Jurispr. Consist. l. 1. def. 15. n. 15.* Hic autem aliqua exceptio est in Patrono *Laico*, qui si antequam tempus illud elapsum sit, indignum præsentaverit, ad alium digniorem præsentandum intra illum terminum adhuc admittitur; quod Patrono Clerico non conceditur. Finkelth. *de Jur. Patr. c. 7. n. 10.* Stryk. *in Not. ad Brunnem. de J. E. 2, 8, 28. conf. suprà c. 4. § 2.*

IV. Ex culpa Commissionis Jus Patronatus amittitur, & quidem in perpetuum, ob Delictum Patroni, & praesertim ob abusum Juris Patronatus. Non tamen ob quodvis leve delictum, aut ob quemlibet ejus abusum. Brunnem. *consil.* 142. n. 48. & de *Jur. Eccl.* 2, 8, 28. sed ob abusum enormem aut grave aliquod delictum: nempe (1^o.) Si patronus Jus Patronatus quaestui habeat, & plus licitantem praferat atque praesentet, vel pacta simoniam & dolentia cum praesentando ineat. Stryk. in *Not. 6. ad Brunnem.* 2, 8, 28. Ordinatur. *Eccl. Hass.* § Nachdem auch. quae extat apud Reink. de *Reg. S. & E.* 3, 1, 9. n. 74. p. m. 1138. In Ducatu tamen Brunswicensi & Luneburgensi, ob tale delictum pro illa tantum vice jure suo mulctatur. v. Ordinatur. *Eccl. de anno 1675.* in Cl. D. Böhmer. *tr. de Jur. Paroch. sect. 3. c. 1. post § 22.* (2^o.) Si patronus Rectorem (id est, parochum primarium) vel alium clericum ecclesiae patronatus occiderit. c. 12. X. de *Pen.* (3^o.) Si ob atrocem crimen a Patrono commissum universa ejus bona confiscentur: tunc enim Jus quoque Patronatus fisco cedit, Finkelth. de *Jur. Patr.* c. 7. n. 17, 19. Ziegler. in *Not. ult. ad Lancellor.* 1, 28, 21. Circa hos autem modos observandum est, si Jus Patronatus duobus aut pluribus commune sit, unius delictum alteri non nocere: imò Compatronum innocentem tunc Jus Patronatus in solidum retinere, ait Stryk. in *Not. 4. ad Brunnem.* 2, 8, 28. Praeterea hisce modis fere illud tantum Jus Patronatus amittitur, quod uni alicui personae, idque jure proprietatis, tanquam patrimoniale competit. Id verò quod ad integras Communitates pertinet, vel ab una quidem personae, sed tantum jure administrationis sive ratione officii quod gerit, exercetur (vid. *suprà* c. 4. § 6.), ob hujus vel eorum quibus id communitatis nomine competit, delictum non amittitur. v. Puf. de *J. N. & G.* 3, 28. Simili ratione nec ob delictum a tutore vel curatore, qui nomine patroni pupilli vel minoris Jus Patronatus exerceat, commissum, jus istud huic amitti aequum esset. Caterum quaeri potest, Ad quem Jus Patronatus ex Patroni delicto amissum perveniat? Ad quam quaestionem ita respondeo: Quemadmodum cum totus usufructus finitus fuerit, revertitur ad proprietatem, & ex eo tempore nudae proprietatis dominus incipit plenam in re ha-

re habere potestatem; ut loquitur Imperator in § 4. J. de *Usufr.* ita etiam cum totum Jus Patronatus finitum est, recidit ad Episcopum vel Dominum territorii; qui similiter ex eo tempore plenam & liberam potestatem, pastorem in ecclesia illa, quæ patronata fuerat, constituendi, habere incipit. Nisi id rursus alii, sive tanquam feudum sive tanquam allodium, concedat: quod equidem ipsi facere licet. Si tamen in ea regione, ubi quis Jus aliquod Patronatus habuit, communis consuetudo obtineat, ut ipsæ Ecclesiæ Pastores sibi eligant: tunc id ad ecclesiam illam, quæ hæcenus patronata fuerat, devolvi puto, ita ut hæc deinceps eodem, quo ceteræ, jure gaudeat. De *Confiscatione* id speciatim notandum est, si alicujus bona fuerint confiscata, tunc Jus Patronatus, quod ipse *in alieno territorio* habuit, ad dominum hujus territorii, in quo ecclesia patronata sita est, recidere; non verò ad eum principem vel magistratum, cujus ille subditus fuerat: quemadmodum alia quoque ejus bona immobilia, quæ in alieno territorio sita sunt. *Mev. ad Jus Lubec. l. 1. t. 2. art. 2. n. 32, 34. Fab. in Cod. l. 9. t. 27. def. 1. in fin. aliique ab iis alleg.*

V. Denique tollitur etiam Jus Patronatus, si Patronus, ad quem id in solidum pertinuit, decesserit, nullis omnino heredibus relictis: tunc enim omnia bona, quæ ejus fuerant, tanquam *ἀδικοῦσι* sive *ἀκληρονόμηται*, id est, *vacantia* seu *heredibus destituta*, fisco cedunt, adeoque ad eum principem vel magistratum in cujus territorio singula eorum sita sunt, pertinent. Ex quo consequitur, id Jus Patronatus, quod defunctus iste *in territorio alieno* habuit, similiter ad eum principem vel magistratum pervenire, in cujus ditione ecclesia ista patronata sita est; non vero ad eum, ubi defunctus domicilium habuit: perinde ut alia bona immobilia, quæ in diversis territoriis possedit. *Mev. ad Jus Lubec. l. 2. t. 2. art. 14. n. 66. Struv. S. J. C. Exerc. 50. th. 35. Lauterb. in Coll. Jur. ad ff. 49, 14, 9. Stryk. de Success. ab Intest. diff. 5. c. 1. § 47. aliique plurimi ibi alleg. Facile autem intelligitur, Jus Patronatus, quod integris *Communitatibus* competit, hoc modo extingui non posse: universitas enim non moritur, sed semper per novos successores redintegratur. l. 76. ff. de *Judic.* *Barbos. in Thes. Axiom. voc. Universitas.**



n. 6. Lauterb. in *Coll. Jur. ad ff.* 3, 4, 32. idem quoque de eo, quod persona aliqua *ratione officii* sui exercet, dicendum est. Sunt qui inter modos amittendi etiam *Sententiam judicis* ponunt, quâ scilicet Jus Patronatûs alicui abjudicatur. Finkelth. de *Jur. Patron. c. 7. n. 4.* Brunnem. de *Jur. Eccl.* 2, 8, 28. quod ego approbare non possum. Nam si *justa* est ea sententia, alter Jus Patronatûs nunquam verè habuit, adeoque id amisisse dici nequit: sin *injusta*, non huc pertinet, ubi eos tantum modos amittendi considero, qui jure & æquitate nituntur; non quibus quis Jure Patronatûs de facto & per injuriam exiit: aliâ enim etiam *injusta* invaloris vel usurpatoris violentia huc referenda esset. Enimverò per modos istos injustos tantum possessio, non ipsum Jus Patronatûs amittitur: nisi Patronus tandem acquiescat & sileat, atque adeò id pro derelicto habeat; quo casu id alteri tandem acquireretur; non tamen vi iniquâ illius sententiæ vel violentiæ, sed per subsequentem temporis immemorialis præscriptionem, quâ omne acquisitionis vitium tandem purgari censetur. Cæterum hoc etiam probè est observandum, *Jus Patronatûs feudale*, id est, quod alicui in feudum datum fuit, tum in alienando tum maxime in amittendo, naturam & jus feudorum sequi: adeoque in quibusdam modis hætenus expositis aliquam exceptionem vel limitationem admittere; inò & aliis insuper modis, iisdem scilicet quibus feudum, amitti posse. Unde etiam est, quod Jus Patronatûs feudale, postquam aliquo ex illis modis amissum fuit, ad dominum feudi, non ad episcopum territorii dominum, nec ad ecclesiam, recidit.

VI. Nunc tandem breviter adhuc exponam, quibus modis *Jus Patronatûs*, quod in alieno territorio fuerat, salvâ suâ substantiâ tale esse desinat, & in proprio territorio esse incipiat. Nimirum hoc fieri potest vel per *Successionem indigenæ* cum scilicet patrono extraneo heres indigena succedit; vel per *Alienationem indigenæ factam*, quâ patronus extraneus id, sive gratis sive per modum contractûs, in indigenam transfert. Extraordinariè verò id fieri potest interveniente *Acquisitione territorii*; quâ scilicet ille districtus, in quo quis Jus Patronatûs habet, huic Patrono, ejusve Principi sive Magistratui, acquiritur, hujusque territorio accedit: quo casu istud quoque Jus Patronatûs

tis in territorio alieno esse desinit, & in proprio territorio esse incipit. Hic pedem figo, & ex Virg. *Georg. l. 2. in f. cano*:

Sed nos immensum spatium confecimus æquor;

Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

VII. HÆC igitur sunt, quæ de JURE PATRONATUS IN TERRITORIO ALIENO meditatus sum. Tuum jam, *Lector Benevole!* imploro patrocinium, ut ea, licet minus ex arte (quod ultrò fateor) composita, in meliorem partem interpreteris, tuoque applausu ab iniquis malevolorum censuris defendas. Equidem nondum ejus aut ætatis aut doctrinæ sum, ut opus aliquod perfectum ingenio, elaboratum industriâ, quodque juris peritorum calculum mereatur, proferre possim: sed malui, jubentibus ita legibus academicis, specimen istud qualecunque in lucem protrudere, quàm longiore morâ justam grandioris atque elegantioris tractatus expectationem frustrari, vel certè tardare. Fiduciam enim mihi addidit illud Fabii Quintiliani monitum, qui *Instit. Orat. l. 12. c. 6.* ait: *Fructum studiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & spes est, & paratus favor, & audere non dedecet; & si quid desit operi, supplet ætas; & si qua sunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.* Quodsi in nonnullis erravi, ut labile est ætatis usu rerum nondum firmata judicium, amicè me admoneas, summo opere rogo. Sapientiorum enim monitu aliquid didicisse atque emendasse non tantum in laboris hujus mei fructu præcipuo, sed & magnâ in laude putabo: nam ego cum Pomponio in *l. 20. ff. de Fideicommiss. libertat. discendi cupiditatem solam vivendi rationem optimam duco.* Unum superest, ut Exercitationis hujus magnitudinem, quâ & mihi laborem, & Lectori forsan tædium auxi, excusem. Et illud quidem ipse mihi eo libentius ignosco, quo jucundiores esse solent acti labores: hujus autem veniam ab æquanimitate Lectoris me impetratum confido, præsertim ubi reputaverit, non pauca me hic attulisse aliis indicta, nec in libris obvia; sed vel ex diligenti exemplorum inspectione atque collatione elicita, vel ex propriâ meditatione atque ratiocinatione deducta: quæ proinde pluribus & explicari & probari oportuit, quàm quæ ex aliis adferantur. Ad id autem discendi potius quàm docendi cupiditas

tas

me induxit; quā etiam factum est, ut quæ ipse tum legendo tum meditando didiceram, cum aliis quoque communicare sim ausus. Ut proinde eādem illā, quā quondam nonnemo, excusatione uti possim ac velim:

QUÆ MIHI MENS FUERAT TENUI TRACTARE LIBELLO,
DISCENDI STUDIO. MAGNUM FECERE VOLUMEN.
VALE, Lector Benevole, & mecum

Ἰδὼν τὸ τέγμα τὴν χεῖρα διδὼς Θεῶ.

F I N I S.



~~~~~  
ADDITIO ad Cap. V. § 15.

**B**ERNÆ (quantum postea ex ore fide digno accipi) cūm Pastor sive pro urbe sive pro agro constituendus est, Ministerium urbicum tres primò nominare solet; ex quibus deinde Senatus minor sive ordinarius (qui ibi XXVI. Senatoribus constat) unum eligit. Fieri etiam potest (quamquam raro fiat), ut tribus illis à Ministerio nominatis Senatūs gravi de causā unum adhuc addat. Quodsi Ecclesia aliqua Patronum sive Collatorem habeat; iste similiter tres Senatui nominat: ex quibus si ipse unum præ cæteris commendet atque desideret, is plerumque à Senatu eligi atque confirmari solet.

INDEX

## INDEX CAPITUM hujus Exercitationis.

| PRÆFATIO.                                                                                                                                           | pag. | 1. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|----|
| CAP. I. Explicatio singulorum Tituli vocabulorum.                                                                                                   | 7.   |    |
| II. Definitio Juris Patronatûs in Territorio Alieno brevi commentario illustrata.                                                                   | 17.  |    |
| III. Partes Juris Patronatûs tres, Nominatio, Vocatio, & Præsentatio: quibus ex parte Episcopi accedunt Ordinatio, Confirmatio, & Investitura.      | 26.  |    |
| IV. Divisiones variæ Juris Patronatûs in Territorio Alieno.                                                                                         | 41.  |    |
| V. De Constitutione & Electione Ministrorum Ecclesiæ inde à prima eorum origine: ubi potissimum ostenditur, eam Summis Imperantibus jure competere. | 48.  |    |
| VI. Origo & Progressus Juris Patronatûs.                                                                                                            | 64.  |    |
| VII. Ostenditur, Jus Patronatûs non injustum, neque ecclesiis perniciosum esse.                                                                     | 69.  |    |
| VIII. Modi acquirendi Jus Patronatûs in genere, & in specie in Territorio Alieno.                                                                   | 78.  |    |
| IX. Jura specialia, quæ Patrono circa ecclesiam patronatam in Territorio Alieno competunt.                                                          | 93.  |    |
| X. Tractatio questionis specialis, de Dismembratione Ecclesiæ patronatæ.                                                                            | 114. |    |
| XI. Modus litigandi & judicandi de controversiis circa Jus Patronatûs in Territorio Alieno ortis.                                                   | 125. |    |
| XII. Modi, quibus Jus Patronatûs in Territorio Alieno amittitur sive finitur.                                                                       | 144. |    |

V

Men-



## Menda Typographica

ante lectionem emendanda.

- Pag. 2. lin. 17. pro *temporibus*, leg. *temporibus*.  
P. 5. lin. 7. pro *ea*, leg. *eam*.  
lin. 33. post *cum*, add. *de*.  
P. 16. lin. 3. pro *usitata*, leg. *usitatum*.  
P. 19. lin. 11. pro *scholasticus*, leg. *scholasticas*.  
P. 20. lin. 14. pro *Platin*, leg. *Plantin*.  
P. 22. lin. 2. pro *nec*, leg. *ne*.  
P. 23. lin. 33. pro *αἰχρονεπειζ*, leg. *αἰχρονεπειζα*.  
P. 25. lin. 12. pro *Evangelii*, leg. *Evangelici*.  
P. 29. lin. 2. pro *dist. 36*, leg. *dist. 63*.  
P. 32. lin. 8. pro *Cæterum*, leg. *Cæterum*.  
lin. 12. pro *præsentare*, leg. *præsentatum confirmare*.  
P. 33. lin. 8. pro *Vir*, leg. *Vit*.  
lin. 16. pro *qui*, leg. *quod*.  
P. 40. lin. 27. pro *Bestätigungs* / leg. *Bestallungs*.  
P. 51. lin. 16. pro *est*, leg. *ex*.  
P. 53. lin. 10. post *cum*, add. *Presbyteri*.  
P. 64. lin. 9. pro *conventione*, leg. *contentione*.  
P. 75. lin. 9. pro *Proposito*, leg. *Præposito*.  
P. 81. lin. 29. pro *eum*, leg. *cum*.  
P. 83. lin. 4. pro *illo*, leg. *illi*.  
P. 87. lin. 2. pro *Permutatione*, leg. *Permutatione*.  
P. 94. lin. 13. pro *condidatum*, leg. *candidatum*.  
P. 101. lin. 1. pro *sinceritarem*, leg. *sinceritatem*,  
lin. 3. pro *Verbehalt* / leg. *Vorbehalt*.  
lin. 25. pro *ἐξοθεν*, leg. *ἐξοθεν*.  
P. 112. lin. 17. pro *ecclesia*, leg. *ecclesiæ*.  
P. 121. lin. 36. pro *quàm*, leg. *quam*.  
P. 123. lin. 15. pro *plura*, leg. *plures*.  
P. 125. lin. 5. post alleg. ex Carpz. add. *Fabr. Cod. l. 6, t. 1, def. 8*.  
P. 132. lin. 18. pro *magistratus*, leg. *magistratus*.

Horat. de Art. Poët. v. 361.

Opere in longo fas est obrepere somnum.



## COROLLARIA.

### I.

**G**Ravem injuriam Justiniano Imp. pariter atque Suidæ faciunt, qui quasi Suidæ auctoritate nixi asserunt, Justinianum Imperatorem ἀναλφάβητον seu rudem planè omniumque literarum imperitum fuisse; inter quos præter Historicos complures multi quoque Jurisconsulti, ut Alciatus, Budæus, Tiraquellus, aliique fuerunt. Nam in Suidæ Lexico apertissimum est mendum, librariorum incuria admissum; ac pro Ἰουλιανῶς legendum Ἰουλιῶ, qui Justiniani avunculus, & referente Procop. in Hist. Arc. c. 6. pag. 19. ita illiteratus fuit: id quod plurimis præterea argumentis evinci posseset.

### II.

In Novatione alieni debiti, sive hoc ex contractu sive ex maleficio fit, quæ in specie Delegatio dicitur, l. 11. pr. ff. de Novat. quæ videlicet alius vel à debitore delegatus, vel spontè se delegans, l. 4. § 1. ff. de Manumiss. (qui Expromissor vocatur, l. 4. ff. de Condict. caus. dat. caus. non sec. & l. 10. ff. de Pign. act.) obligationem alterius, cum gratiosa creditoris ἀνοχῆ atque consensu, in se suscipit, & huic illius loco satisfacere promittit: prior debitor à creditore præteritur atque dimittitur. Et quamvis substantia debiti non aboleatur, & χερόγραφον primi debitoris apud creditorem maneat vigoremque suum adversus expromissorem retineat: prior tamen debitor per illam Novationem sive πάρεσιν plenè & perfectè liberatur, ita ut creditor nullum amplius jus ipsum conveniendi atque excutiendi habeat. § 3. J. Quib. mod. toll. obl. l. 37. § 4. ff. de Oper. libert. imò prior ille debitor etiam per Acceptilationem, quam Græcis ἀφέσιν dici Budæus in Comment. Ling. Græc. p. m 145. notat, ab obligatione quæ creditori tenebatur, liberatur; ut docet Ulpianus d. l. 4. ff. de Condict. caus. dat. junct. § 1. J. Quib. mod. toll. obl. quò etiam illud ἀνεπίδητος ἀγῶνης ἐπελάττωμα 1. Petr. 3: 21. pertinere videtur. Solutione autem creditori ab expromissore constituto tempore factâ, substantia debiti omninò perimitur, & chirographum deletur, adeoque tunc etiam cessabunt instituta, si qua forsitan creditor à priore debitore in memoriam originalis reatus, imaginemque futuræ solutionis ab expromissore pro illo faciendæ, antea celebrari

lebrari voluerit. Hæc mihi non parum lucis asserere videntur ad disputationem illam Theologorum de πᾶσι & ἀφ᾽ ἑσῆς iudicè illustrandam.

### III.

Juramentum Ambitus, cuius formulam Theodosius & Valentinianus in l. ult. C. ad L. Jul. Repetund. & Justinianus in Nov. 8. sub f. præscripserunt, in iis civitatibus, ubi crimen Ambitus grassatur, abrogari minimè consultum est. Perinde enim esset, ac si quis impediturus ne aqua per aggerem hinc inde perforatum diffluens agros inundet, totum aggerem omnino perfoderet atque dirumperet.

### IV.

Principium Juris Naturalis verum & adequatum Voluntas Dei ex ratione naturali immotescens, mihi esse videtur.

### V.

Fundamentum obligationis Juris Naturæ non in potentia Dei irresistibili, ut Hobbes. de Civ. c. 15. § 5. nec in dominio Dei herili, ut Huber. in Digress. p. 2. l. 1. c. 6. § 6. statuit: sed in Bonitate & Potentia Dei, quam ratio naturalis præter generalem Dei & Nostri ideam imprimis ex Creatione & Conservatione nostri liquidò cognoscit, positum est.

### VI.

Fendorum prima origo ad ipsos Ægyptios referenda videtur. Seseptis enim ab expeditione in Æthiopiam susceptâ reversus militibus agros in Ægypto, eâ conditione, ut semper ad nutum regis in bellum ire parati essent, concessisse legitur. v. Diodor. Sic. l. 1. pag. 35. a. Herodot. l. 2. c. 168.

### VII.

Pomponius in l. 28. ff. de Usufruct. per Nomismata aurea vel argentea vetera, quibus Romani pro gemmis uti solebant, eos intelligere numos videtur, quibus non pro numeratâ pecuniâ, sed ad modum gemmarum utebantur: eorumque adeò usus fructus, quem legari posse ait, in animi oblectatione, quæ ex studio eorum collectione contemplatione atque ostentatione percipitur, consistit; ut etiam innuit Plin. in H. N. l. 37. proœm. & c. 1. Id quod verius videtur, quàm quod Donell. in Comment. Jur. l. 10. c. 3. in f. putat, illa ad pilei aut vestis ornatum adhibita fuisse.







00 A 6365


ULB Halle 3  
002 916 69X  


1078  
1077 Rebo ✓













EXERCITATIO JURIDICA INAUGURALIS

18

DE

JURE  
PATRONATUS  
IN TERRITORIO  
ALIENO;

*Quam*

PRÆSIDE  
SUPREMO RERUMQUE HOMINUMQUE  
PATRONO,

JUSSU ET AUCTORITATE

*Amplissimi Jurisconsultorum Ordinis  
in Alma Universitate Basileensi;*

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus  
legitimè consequendis,

*Ad D. 21. Aprilis, Anni MDCCXIII.*

Eruditis examinandam

PRÆSENTAT

JOH. CONRADUS PEJERUS  
SCAPHUSIO - HELVETIUS,  
AUCTOR.



BASILEÆ, Typis Friderici Lœdij, Academ. Typogr.

